

Bibliothèque numérique

medic@

Le Paulmier, Pierre. *Laurus palmaria fugans ventaneum fulmen cyclopum aliquot, falso scholae Parisiensis nomine evulgatum, in librum Petri Palmarii doctoris medici Parisiensis.*

Lutetiae, Martii 26. Anni Domini 1609., 1609.

Cote : BIU Santé Pharmacie RES 11398 (2)




CONFUTATIO
OBIECTIONVM
QVAS CENSORII PAR-
MENONES, EMENTITO
 Scholæ medicæ Parisiësis nomine.

PETRO PALMARIO propofuerunt.



VERE, ſiquid aliud, Cato
 beatas fore artes ſi de il-
 lis ſoli artifices iudica-
 rent: Infœlices ego, ma-
 lè fortunatas, ſi imperi-
 torum arbitriis proſti-
 tuantur. Alchymia par-
 tem quæ in medicamentorum præparatione
 verſatur, magni nominis medici excolue-
 runt. Schola Pariſienſis dum clariffimis ſy-
 deribus medicinæ orbẽ fouebat & illuſtra-
 bat, Fernelio maximè, eam habuit pro pu-
 riore philoſophia: artem dixit pharmacia
 præſtantiorem; Syluio verò, Galeni tenaciſ-
 ſimo, rem omnibus alijs planè diuiniorem;
 cui vt veritati credendum aſſeruit. Idiotas
 vocauit imperitos medicos qui hoc artifi-

A



cium ceu nugatorium calumniantur. Iulianus Palmarius Patruus meus, libris editis & edendis clarissimus, sua opera chymiae delictijs commendavit. Iohannes Riolanus pater, Aristoteli secundus, annis superioribus scholae magnatum nomine, Chymiam amplexatus est. Plurimi hodie ex eodem ordine chymica laudant & praescribunt; Arabum imitatione Galeni votum persolvunt Chymiae culturam: hanc scilicet diversae in aceto substantiae dearticulantur, quod optabat Galenus, ut in lacte. optabile & in caeteris sub-lunaribus. Sub his ducibus Carrerius huius artificij peritissimus medicus sic habet. Ars sublimandi, saluti corporis, animique ornameto salutaris & congruens, servetur incolumis, semper floreat, & omnibus suis numeris exactissime perficiatur. Imperiti vero aliquot idiotae, ut cum Sylvio loquar, Chymicum artificium, ceu nugatorium criminantur. Librum meum qui veram Chymiam sophisticae Paracelsiae cauillis obrutam, ut Fernelius sentit, restituit, restauratque, accusant. Parmenones veri qui Chymiae castra nunquam viderunt, de illa tamen, apud Imperatorem, apud facultatem legitime congregatam dixisse impudenter mentiuntur. Quid potuerint, conuincit censura barbara, infamis, illegitima, quam contra me tulerunt, versatili & incompetente Decano abusi, papanere corniculato frigidior. Scioli ali-

quot malè feriat, aspernantur, vulnerat quæ non intelligunt. Coniurati aliquot Catilinæ hac occasione arrepta meo nomini insultat. Nostra scilicet veræ chymie possessio, in quam hi homûciones, quasi caducam atque vacuum, abundantes ocio, nobis occupatis inuolauerunt. Sex aut septem sunt inimici, & probis omnibus odiosi, litigatores magnifici, huius facinoris authores. Aliter statuit consulta sapientum Asclepiadarum Synodus. Tantæ non sunt animis cælestibus iræ, tantæ nebulæ, tantæ caligines. Suum nomen suam authoritatem, proditoribus detrahunt. Propterea lubens abstinuissem à responsione; neglexissem Herostrateos templum Dianæ Chymicæ incendentes, ut nomen intermortuum viueret, etiam ex ista turpitudine. Sic scarabei in sterquiliniis. Quid enim allatrant? Rectum ab obliquo nesciunt distinguere, Chymiam à Paracelsia. Reum me dicunt criminis, cuius ultorem me præbui acerrimum in Paracelsistas. Porticum nostram deferere insimulant, quam Chrysippus alter, forti ceruice fulciui, quam nervosè & victricibus armis sum tutatus.

nigro tunc allatrat ore

Victorem invidia & ventis nos iactat iniquis.

At enim, aiunt iudicem etiam cum iniqua decernit, ius dicere. Iactantque nostri æmuli censuram protulisse, quæ et si iniqua & falsa, tamen censura est. Eoque magis quod glo-

A ij

rietur honorato scholæ nomine, fuitim per indignissimum Decanum mihi que infensissimum, concessio. Quod etiam falsò contineat nostrum assensum. Lubens priuatam iniuriam pertulissim, sola scholæ honorandæ reuerentia adductus. Graue erat eius nomine tot vituperia detegere; ne videretur illa de auito splendore deflexisse. Sed illa ipsa adiecit animos. Collegarum pars melior me ad vindictam inflammavit. Addidi solum veritatis solem, solam boni publici auctoritatem. Sic enim quæ nostro nomine accepit vulnera Chymia medicamentorum, eodem ipso confanescunt. Ars illa quæ inciorum fallacibus suffragiis deprimitur, peritorum instaurata præsiidiis florebit, vigebit, viuet, placebit, amabiturque.

Accusant libri titulum, *Lapis philosophicus*, nescientes distinguere dicta secundum quid, à dictis simpliciter. Lapis est, sed Lydius, ad quē vera Hippo. & Galeni doctrina probatur. Quis enim hunc thesaurum arguet meros esse carbones, nisi qui legere nesciat? Hoc Paracelsi dogmata cōfutantur. Præparationes omnes aut imperfectæ aut deteriores conuincuntur. Principia phantastica in exilium relegantur. Physica vero & medica firmissimis rationum philosophicarum sepiementis obuallantur. Vno verbo Chymia falsa, impostoria, naturæ aduersa exterminatur. Explicatur vera, candida, medicinæ filia.

5
Plurima eius beneficia aperiuntur, mihi notissima & certis experimentis facillima. Et nostri Aristarchi pro erroribus, pro imposturis habent, pro fraudibus, quæ per mentis imbecillitatem nequeunt assequi. Illis ergo satisfaciamus, ut iudicet lector qui sint Geryones contra Herculeam Chymiam. Quàm sit difficile de rebus bonis maledicere. Moneo autem omnes ne putent hæc pauca contra scholam saluberrimam, quam colimus, matrem honorandam veneramur. Dicta sunt contra sex aut septem sciolos, qui palmarium de Palmario reportare gestiunt; Qui pro Libauio Palmarium impetunt; Qui mutant clypeos, Danaumque insignia sibi aptare volunt. Non quidem rationibus philosophicis, quæ arma sunt literariæ militiæ, sed litibus, censuris, Musis medicis inuisis. Subijciam plumbea & malè cohærentia quædam errorum nomine obiecta, quæ facile profligauero. Præmittam aliquot ex schola anatomica Riolani filij exprompta, obiectis suis perquàm similia. Quæ potius Cæforum stoliditatem quam iniquitatem testentur. Mitto incongruas & improprias locutiones innumeras, *ut virarumque manuum & medum digitos*. Nulla enim pagella est, quæ ferulam Aelij, Vallæ, Galeni, iustè recuset. Digna est consideratione Realdi Columbi correctio, ut inde non ex vngue Leonem, sed ex vngula asinum intelligas. Scri-

A iij

pñt disertè Columbus, Os ethmoïdes te-
 nuissimum esse & foraminulis distinctum.
 Verè equidem. Accusatur tamen à nostro
 Censore, Cicerone altero, Sapientum octa-
 vo his verbis. pag. 84. *Secunda ethmoidis*
partio spongiosa quæ non est os distinctum ut
existimavit Columbus. Risum teneatis ami-
 ci? Nescit quid sit distingui foraminibus.
 Nescit legere, aut legendo intelligere; & de
 medendi arte commentatur; & censorem
 agit. Eodem fuit ingenio in obiectionib. 1.3.
 5.6.7.9.11.13.14. 20.21.23.24.25.27.31.34. 37.40.
 42. ubi legere nesciens Solæcizat censoriè.
 Sua interpretatione crudeles facit medicos
 Parisienses quòd Ludonico IX. imperij ha-
 benas tenente, Calculosum viuum secue-
 rint, ut (inquit censor,) lapidis generatio-
 nem discerent; Vah *ἀλογον* censorem! Quasi
 tunc ignota esset lapidis generatio. pudet
 acrius urgere. Sic pluribus in locis sententiæ
 sensum detorsit suis additionibus; ut obiect.
 10.13.16.20. 21.24.30. 33.37. Sic imposuit Fer-
 nelio ut tātum virum mihi aduersum daret,
 qui mecum omnino sentit obiectione 13.
 Meo nomine Hippocratem accusat erroris
 obiectione 19. En regium interpretem lo-
 corum Hippoc. tenacissimum;
Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno
Disce omnes.

O B I E C T I O I.

Probat Alchymia vetustatem, quam facit nostra medicina antiquiorem. Quod est contra scholæ opinionem & rei veritatem. Quod etiam repetit in præfatione cum ait. Ambæ simul natæ ab ipsa natura sua hauservnt fundamenta ambæ simul educate, &c.

S O L V T I O.

Exordium vero Censorium ab impudentissimo mendacio ! Docui veram Alchymiam longè antè Paracelsum natam. Novam esse, mendacem, deceptoriam, quam ille celebrat. Veram, legitimā, esse partem medicinæ ad Pharmaciā referēdam. Quid mirum ergo si simul cum medicina nasci voluimus ? Totum non est nisi in partium vnione. Singulæ partes essentielles & integrantes toti sunt coæuæ, si non sunt priores. Medicina totum est. Partes physiologia, pathologia, Therapeusis. Chymica præparatio pharmaceutica est, & simul cum illa nata. Antiquiorem quis dixit ? Impostura est Censoria. Riolanus quidem voluit anatomem medicina priorem. Quasi partes sint dissecandæ antequam natæ sint. Quasi debeat anatome tradi de iis quæ non sunt. Quæ fuit anatome ante physiologiam?

Turpe est Censori cum culpa redarguit ipsum. Sed si ambæ simul natæ sunt, ut ex me subiicis, quomodo hæc illa antiquior? Monui non paucos Poetarum metamorphoses ex Chymia placitis aperire. Sic quæ de pugna Herculis & Anthei. De salute Deucalionis & Pirrhæ; de Gorgone; de Ioue, aquila, Ganimedee. de Dedalo, Icaro; labyrintho. de Minerua & Ioue & alia multa. Quæ si insulsus Poetaster calluisset, multa potuisset supra vulgus, nec in hoc negotio tecum fuisset ὅνος πᾶσι λυγρῶν.

O B I E C T I O II.

Prudenter reprehendit communem Alchymiam propter obscuritatem, sed ille obscurius adhuc loquitur cum describit suum ignem philosophicum. quando recitat remedia quibus elephantiam persanavit. Nihil docet in toto libro. In eum retorqueri potest quod aliis obijcit. Ex ignoratione verborum, &c.

S O L V T I O.

Panis cum scorpione. Sed quid clarius dixissem, cum ut subdis nihil doceam? Non fuit animus te docere. non es idoneus auditor. oleum & operam lusiissem. ubi te sedentem viderimus fortasse te docebimus. Quid enim te ipso inconstantius? Contra
medicos

medicos Aurelianenses Parentis filium te iurabas, quod semen sit animatum, quod anima sit ex traduce, quod scientiæ, virtutes, sint hæreditariæ. Et eodem vita functo, tu degener, tu ignava proles, indigna tanto parente, Libauij commenta docuisti pharmacopœorum candidatos, contra parentis manes, contra Scholæ placita. Qua causa tu fuisti iusta censura tribu motus, è Schola pulsus, & emolumentis ad biennium priuatus. Quia huius censuræ cum Collegis author fui, Tu Neoptolemi vindictam celebras, sed iniquo facinore. Tu dicebas Libanium lumen nostri sæculi, quem Parēs tuus maniacum demonstraerat, non sine sudore. Scilicet nostræ tenebræ tibi lucent. Nūc vero solo Alchymix audito nomine, inaudito numine incandescis in eum, qui & paternos manes, & te ipsum à triumpho Libauij liberet. Ergo optamus tibi mentem sanam, doctrinam solidam. Nondum aperiemus ignem philosophicum. Nec te tamen occidit & te liberamus isto periculo. Occidit obscura sententia, si pro vero falsum credatur. Ita monebam Libanium de authorum obscuritate. hac enim causa non sapit supra vulgus Chymicorum; supra Paracelsum. Tu autem adeo rudis es, vt quid verū quid falsum nescias. Quod attinet ad Elephantiam, dic cedo, vbi obscuritas? nisi obscura voces, quæ non capis? Dicitur au-

B

rum potabile, exuberatum, supra spheram
exaltatum, nec reductile. Quot verba, tot
sententiæ, tot operationes. posteriora, ra-
tiones sunt priorum. verba sunt castrensia
militiæ Chymicæ. Hæc scire & audire iu-
beo Tyrunculos. Tu agis Censorem & hæc
ignoras. Consueta vocabula quæ notant
operationem retinenda sunt; etiam cum spi-
nis. Ars est & in vocabulis. Non est nomi-
num abdicanda omnis proprietas. Tale au-
rum verissimum est. Et tu ignarissimus re-
rum, obscurum vocas, quod supina igno-
rantia non capit. Consultius fecit Perdulcis,
qui horum rationem & explicationem can-
didè accepit. Cæterum notes velim, me ar-
tis difficultatem obiecissem Libauio, ne tan-
tum, aut totum, tribueret sententiæ literalis.
Consideranda est naturæ possibilitas. Et tu
incongruus disputator, mihi reddis quod
alio sensu, in aliis reprehendo.

O B I E C T I O I I I .

*Diu multumque dubitasti antequam nomen Ga-
lenochymici. usurpares, sed & zelus, & studium
boni publici ad id te coegit.*

S O L V T I O .

Cedo vero locum impostor. Tu mihi affi-
gis, quæ malo dolo fingis. Reddo causam si-

lentij diuturni. Cur id non præstiterim antè
 patentem tuum. Sic enim contentionum fi-
 nis. Quod ô vtinam præstitissem! Schola
 nostra non tam malè audiretur. Non exta-
 ret Triumphus Libauij de spuria Galenia
 Parisiensium medicorum. quem tu perfeci-
 sti insulsa & pudibunda palinodia. Sed hoc
 tibi & tuis gentilitium in Triumpho ho-
 stium circunduci. Cladem sentiunt qui
 commilitant. Sic Parens tuus & Schola no-
 stra cum Libauio. Sic patruus tuus Petræus
 cum Archiatro Laurentio. Quoties enim
 verbulum Petræus laureato Laurëtio, to-
 ties victrix veritas Lauro sacrata occine-
 bat. *Ite triumphales circum mea tempora Lau-
 ri.* Spolia iacent in absoluto opere ana-
 tomico ¹⁵⁰⁸ Laurentij. Sic Alchemia Li-
 bauij Triumphans de Schola nostra. Cau-
 sam autem silentij dico, quòd Libauius Ga-
 lenicus esset. Quòd Hippocratis & Galen
 partes in Paracelsum, in Grammanum &
 Ambaldum tueretur. Quòd chymiam pro-
 fiteretur veræ medicinæ consentaneam.
 Tùm enim tam iniusta fuisset mea conten-
 tio, quàm iniqua tui Parentis. Iam vero Li-
 bauius ipsam Paracelsiam propugnat. Veræ
 Galeni doctrinæ aduersatur. Quæ fuit no-
 stræ responsionis occasio. En fides tua dex-
 tráque.

B ij

OBIECTIO IV.

Profitetur se nomine Scholæ id agere. Et titulus libri id præ se fert.

SOLVATIO.

Quidni vero cum sim scholæ alumnus? Libero matrem à calumniis, quibus tu tuique similes illam exposuisti. Doleo Scholam clarissimam tua & tuorum culpa contempni, vapulare, conculcari. Si tu es desperatæ salutis, si obmutescis ad tua opprobria, quidni te deffendam, cum hoc negotium sit & meum? Cum tua in scitia, tua fuga, meum latus pateat aduersariorum vulneribus? Nonne tu es ille qui me obnixè rogabas, si quid haberem contra Libanium tibi impertire? Nonne Petrus sæpius dixit, eum de Republica benè mereri, qui Libanio responderet? Nonne facundus alter Hippocrates Duretus, mira dicendi potestate confecit ut dissensio inter Scholam & Quercetanum nata coalesceret, etiā contra balbutiēte tuo Petreo? Nōne tū diuinus ille Duretus Alchemiæ veræ vtilitatē & necessitatē, ex Auicenna, Rasi, Bulcasi, Mesue, Fernelio, Syluio & aliis multis exposuit? Cui ordo vniuersus subscripsit. Ergo tale fuit Scholæ nostræ Iudicium de Chymia; quo

Paracelsiam reprobet, aliam vero & nostris
 medendi legibus consentaneam amplexe-
 tur. Quod & Parens tuus Riolanus respon-
 dit Libauio. pagina 20. mania his verbis.
Non tantum schola per suum Censorem semel at-
que iterum significauit se non promiscue Alchymiam
omnem exterminare, sed eam tantum quae principiis
falsis & ridiculis Hyppocratis medicinam sub-
uertit, verumetiam hanc clausulam suae Censurae
inseri vult. Tale fuit inscriptionis fundamē-
 tum. Nam duae sunt Chemiae facies, vna ve-
 ra, legitima, medicinae filia, ad quam non mi-
 nus anhelare debeat optimus medicus, quam
 sapiens & patiens Vlysses ad suam Pene-
 lopen. Alia falsa, nugatrix, impostoria, cu-
 ius solius tanquam ancillae amoribus poti-
 ti sunt Paracelsus & Libauius, & similes
 sponsi Penelopes, cum domina potiri non
 potuissent. Ego verò me hostem fucatae il-
 lius Chemiae sum professus. Vera est quae se
 nobis potiundam voluit. quam Scholae iu-
 dicio probamus. Quam Paracelsiae opponi-
 mus. Ego arcum illum quem solus Vlysses
 intendere potuit, in illos procos, in Paracel-
 sum & Libauium vibraui. Quid est ergo, in
 quo laboriosus & laudabilis meus conatus
 scholae displicere potuisset? Cur aegrè feret
 sibi illatam iniuriā, suo nomine & numine
 vlcisci? At non fuit is scholae animus. Soli
 sunt quinque, aut sex Carilinae, ceu cōiura-
 ticulum rescindere nostrum. Hi iam mu-

B iij

tant Clypeos, Danaumque sibi aptant insignia. Quod si à Libanij partibus stare velint, non recuso quin Hippocraticus & Galenicus dicar, quin scholæ nostræ apologus, téque, tuosque, vt trās fugas habeam aduersarios; quos facillè tanquam causæ iniquitate malè fultos profligauero. Maneat ergo Scholæ iudiciū, quo sua veritas, sua dignitas, asseritur deffenditur, vindicatur. Dum honoratum Doctoris titulum à matre honoranda accepi, sacramēto adstrictus sum eius causam dicere, artis honorem propugnare.

O B I E C T I O V.

*Intereſt ſalutis publicæ in hæc animaduertere.
Perderet Libanius medicos ex his præceptis & vniuerſale & particularia ſperantes.*

S O L V T I O.

Quem hic errorem habes fatue? Vin tu quæ Libanius, propugnare? Moneo illum toto cælo errare, & in vniuerſali & in particularibus. Si hoc errare eſt, contrarium eſt verum, verus eſt Libanius. Neque enim te adeo inſanire puto, vt me credas cum illo ſentire, niſi veterno oppreſſus legere neſcias.

OBIECTIO VI.

*Astra de cœlo detrahuntur. Spiritus pollicentur
ἐπὶ δὲ κοινῇ: à communi elementorum conditione
emancipatos. Et tu quid aliud polliceris?*

Quæ vero tua vesania ! Doceo talia nulla
esse, quòd essentiam, quòd spiritus, quòd
astra velint, corporibus spoliata. Affero me-
dicamentum agere essentiæ facultate. Sed
nolo eam omni subiecto, omni corpore li-
beram. Si corpus consociale assimilo vt fiat
sequacius, an illud tollo? Aliter ieiunus sta-
tues, si tibi mica sit cerebri.

OBIECTIO VII.

*Dispercam, si vnquam honoratissimam Chymiam
reuelatam viderint.*

SOLVTIO.

Si quædam Alchymia utilis, vt Parés tuus
demonstrauit scholæ nomine: aut trium-
phatus es, aut aliam à Libauiana docere de-
bes. At inuictis rationibus confeci veram
Alchymiam Libauio ignotam. Quidni ergo
iusta hæc assertio?

OBIECTIO VIII.

Genuina Alchemia ipsissima pollicetur, quæ maiores. Imo audet maiora & feliciora omnia. Alimenta habet medicamentosa, quibus natura labascens restituatur.

SOLVTIO.

Ni hoc verum, quæ Chymicæ utilitas? quæ necessitas? At maiora verè præstat suis præparationibus. Declinat conuulsiones ab Helleboro lethales. Incommoda quæ veterum sequuntur medicationes tollit. Alimenta medicamentosa sunt, aquæ bezoardicæ, resumptiuæ, Imperiales, alexipharmacæ, & similia quæ momento spiritus reficiunt, vires recreant Lypothymias depellunt.

OBIECTIO IX.

Aloe, colocynthis, elleborus, hoc artificio mansuescunt, ingratus sapor deponunt, inuiolata purgandis facultate. Sublimatum euadit ætior Confundit arsenicum cum sandaracha & realgare.

SOLVTIO.

Verissima omnia & mihi notissima. Sed
ridiculus

rediculus es omnino, cū ex me subilicis arsenicum, sandaracham, realgar vnum & idem esse, quod tribus nominibus enunciatur. Quo vero iure vnitatem essentiae colligis ex nominum varietate. cum tu tantum distes à vita functo parente, quantum asinus à philosopho. Et tamen tibi & patri nomen & cognomen idem. Sed animi gratia, sit ita. Placet hæc tria nondum præparata vnico nomine, tibi mordenda exhibere. Quid inde? Arsenicum duplex est, auripigmentum & sandaracha Græcorum, siue citrinum & rubrum. Differunt sola coctione, qua illud in hoc transit. Fortasse bæoticum ingenium album putauit arsenicum: solum enim hoc nomine vulgatur. Haud intelligēs, adeo rudis es, factitium esse, non natium.

O B I E C T I O X.

*Alij medici ignorant mysteria arsenici & su-
blimati.*

S O L V T I O.

Hic & vtique peccatum, mendacium. Quod commune cæteris medicamentis volui, tu ad hæc sola adstringis. Addis nomen mysterij ignotum tibi. Si verum est te latere hæc vtilissima medicamentorum artifi-

C

cia, & tui similes Chymiaë ignorantissimos, Quid mihi erroris tribuis hanc assertionem. Cur addis alios medicos, nisi ut tuam prodas vesaniam? Sermo erat de solis pseudo chymistis. Chymici cōferuntur cū Chymicis. Veri, cū falsis, Arnaldus cum Paracelso, Palmaruis cum Libauio. An regnante Chymia vera, medicina tollitur? Imò illustratur exoratur perficitur. Ut iterum atque iterum pro schola significauit pater Riolanus. Artes omnes communi societatis vinculo copulantur, mutuas sibi tradunt operas.

O B I E C T I O X I .

Alchymia Palmarij vnicum habet ignem, vnum, vnum medicamentum. In his tribus consistit, quæ non explicat.

S O L V T I O .

Labra asinina non sapiunt tales lactucas. Hæc tibi mira sunt & tu Censorem agis. Nescis quid vniuersale, quid particulare, & in hæc tamen somnias tua deliramenta. Conquereris quod non explicarim. ô digna querimonia ! Iam monui te non esse idoneum auditorem. Margarittæ non proiciuntur canibus. Hæc indignis impertiri nefas, inquit Fernelius. Nihil in toto opere doceo, ut supra errabas. Quid ergo manife-

ſi expectas? Cæterum, quæcunque notaſti
de igne paginis 22. 24. 26. vera ſunt omnia.
Vide quid contra grunnias?

O B I E C T I O X I I .

*Quis vnquam ſanguine humano ſanauit lepro-
ſos, niſi ſit lacertæ ſanguis?*

S O L V T I O .

Tibi vero Elleborus non ſanguis. Ea ne
es impietate vt ſæuias in puerulorum ſan-
guinem? Reſpiſce. Ita locuti ſunt Chymi-
ſtæ. Hic litera occidit. Sanguinem dicunt
ſuam medicinam, ſed lacertæ, baſilici quin
& hominis, vitis, terræ, & ſimilium. Pro-
pterea monebam Libanium attendendam
eſſe naturæ poſſibilitatem in legendis au-
thoribus. Sic Herbaria habent androſæ-
mum, fel terræ, fumariam, & ſimilia.

O B I E C T I O X I I I .

*Opera natura & artis vult eſſe ſimilia, quod
probat ex anatome partium officialium noſtri cor-
poris. Boccie figura ex ventriculo deſumpta. Co-
quirit ventriculus calore vicinarum partium, quod
falſum eſſe demonſtrauit Fernellius.*

C ij

[S O L V T I O.]

Quidni vero similia? Ars imitatur naturam. Ad naturæ simulachrum efficta est medicina. Lex est rescripta naturæ. Sed si similia, an eadem? Si figura ventriculi dedit exemplum boccia, eritne boccia ventriculus? Te volebat Diuinus senex. 1. de diætâ *οἱ ἀνθρώποι ἐκ τῶν φανερῶν τὰ ἀφανῆ σκέπτεσθαι καὶ ἐπιτείνειν. τέχνησι γὰρ χερόμενοι ὁμοίουν ἀνθρώπινη φύσει, ὃ γινώσκουσιν.* Homines ex manifestis obscura coniiicere nesciunt. Cum enim artibus utantur similibus humanæ naturæ, id ipsum tamen ignorant. Similis farinæ est quod addis de calore vicinorum; cum insigni mendacio sententiam & verba corrumpis. Sic enim scribitur ventriculus fouetur calore vicinorum. Tu reponis coquit ventriculus. quasi nihil intersit discriminis. At enim fouere, iuuare, estne idem quod perficere? quod coquere? Qui adiuuat estne operis author! Dum mulus te iuuat ad visitandos ægros, an mulus sanat ægros, an asinus? Sed vbi Fernelius tecum locutus est? l. 6. c. 1. physiologiæ sic habet. Facultas concoquens cibum mutat & conficit, nullis fibrarum adminiculis, sed tum proprio calore & spiritu, tum eo quæ ut lebet magno circumiectus ignis, ita & proximæ partes illi inferunt iecur, lien cor, &c. Itaque his omnibus tā-

quā ministris adiutus &c. Hæc est tua insci-
tia qua Fernelium, Columbum & meipsum
lædis. Quæ patientia hunc feret professo-
rem ignorantia.

OBIECTIO XIII.

*Supereſt Spagiria, ea præparatio medicamento-
rum quæ meliora reddat & morbis expugnandis
utiliora.*

S O L V.

Quorſum vero erroribus hoc tribuis. Vis
ergo vt iam monui Libauiana tutare. Hic
eius ſpagiriam reprehendo. doceo non præ-
ſtare quod pollicetur. Tu errorem clamas.
Quis erit niſi tuus? Putas cenſorem egiffe ſi
aliquid brutè ejacularis, etiam contra pro-
feſſionem. hoc parit mentis cæcitas. mirum
quî tricorpor Geryon non videat acutius.

OBIECTIO XV.

*Vis purgandi calori & frigori ſociatur. Poſſunt
tollī eiufmodi qualitates manēte cæleſti inuiolata.*

S O L V T.

Semper depraurtor. Quod de ſaporibus
dicitur tu ad primas qualitates. Sed ſit ita.

C iij

Quidni? præcesserunt rationes affirmatio-
nis. Exemplum sublimati probat & primas
qualitates aboleri. Possunt enim ut secunde
inde nate. Hoc ultro tibi concedo. Quando
nihil mordendum inuenias. Age ergo in
tuum figmentum. Sum propugnaturus, nisi
possis tace ut stultus sapienti sit similis.

OBIECTIO XVI.

*Stibium citius sedabit febrem, quam exhibitum
rhabarbarum.*

S O L V T.

Hercules tuam fidem! Obiectionem pro
conclusionem affingit impostor. Sed & hoc
mordeas. veram dico obiectionem eo sensu,
quo allata est. quid inde.

OBIECTIO. XVII.

*Non negatur ex mineralibus peti medicamenta
quæ istos prolestant humores, dicetur aliquando
mineralia vires habere fortiores.*

S O L V T.

Quis præter te hoc negabit nugigerule?
Tu es magister in Israel & hæc ignoras? Ple-
ni sunt authorum libri, plena vetustas exem-

23

plis. Vide quo te ferat stulta tua contradi-
ctio.

OBIECTIO XVIII.

*Contendo eiusdem esse miscere & dissolvere.
Quæ natura miscuit, non potest ars disjungere.*

S O L V T.

Vera tam sunt ista quam tu es falsus in
omnibus. Nescis quid sit misceri naturali-
ter, quid dissolui. Quid natura possit, quid
ars.

OBIECTIO XIX.

*Hippocrates medicum ἰσοῦστον existimavit, quod
ea quæ ad sapientiam requirantur, una continean-
tur medicina.*

S O L.

Quid hic erroris asine, si non est Hippo-
cratis ἰητρὸς φιλόσοφος ἰσοῦστος. Ὁ γὰρ ἐνὶ τῇ σοφίᾳ
ἐν ἰητρικῇ πάντα. Sic professor profitetur Hip-
pocratem mendacium illi tribuendo, erro-
rem pro laude. Te ad Tonstrinas dei ciant
procures ignarissime professor.

28
O B I E C T I O X X .

Sine Chymiae associatione nostra medicina inutilis & infructuosa.

S O L .

Vbique mendacium. Ita scripsi. vnus Chymiae associatione medicina id potest. vbi tua medicina inepte? Quæ enim illa sit ipse nescis. Quod autem dixi, verum est. quid inde? Si aliter sentis tu spurius & Galenicus. Tu materiatus & elementarius medicus. Tu Hippocrati & Galeno aduersaris, si in rebus nihil nisi manifestum consideras. Quis ergo error, nisi tuus & tuorum!

O B I E C T I O X X I .

Conqueritur, quod sublata diuinitate nostra medicina facillima sit.

S O L V T .

Erras, mentiris perpetuò. Quorsum enim querimonia de tua medicina? Nam quæ illa est, quæ tot flagitia, tot mendacia continet. Aperi si potes. Sic eris Thessalus, ille impostor qui semestri spatio te tuam medicinam docuit. Ille inquam qui iurat peritum esse
medi-

medicum qui sola senna & syrupo rosarum
solutio vti norit, omnesque morbos de-
moliri.

OBIECTIO XXII.

*Exoptatur Chymia quòd doceat medicamentum
vniuersale &c.*

SOLVTIO.

Quidni vero optanda, si id potest: vere-
res tandiu obtinuerunt compositis, quandiu
simplicia satisfecerunt. Pauca inuenias com-
posita apud Hippocratem. Si possibile esset
vnicum, sine dubio tam multis anteponen-
dum esset. At non is fuit authorum sensus.
Non fuerunt adeo plumbei vt suo vniuersa-
li particularia tollant. Imo est ex particula-
ribus. Agit, sanat cum illis ipsis. Eorum a-
ctiones limitat, dirigit, elicit. quod de natura
voluit Mesueus. Est enim ferè natura ipsa.
De quo plura in propria interpretatione.

OBIECTIO XXIII.

*Multus est in laudandis Chymicis ex operatione
ruta, facili, iucunda. Contra Libanum negat calo-
rem caelestem mutari in igneum.*

SOLVT.

Vera hæc omnia. quid inde? Vin tu con-
D

tra sentire. vin tu cælum terræ mutare? Ad-
disce quæ illic sunt propugnacula.

OBIECTIO XXIII.

*Calor cælestū est materia elementi ita attenuata,
calor eius adeo auctus.*

S O L.

Hercules tuam fidem! Impostor mon-
stra fingit, quæ mihi objicit. Quid non pote-
ris tuis depravationibus & additionibus
māstigia? Quasi vero dixerim materiam ele-
menti esse calorem cælestem. Quid hoc ef-
fet? calor est calor auctus. Hæc monstra tibi
familiaria sunt, putas mihi vt tibi commu-
nia. pudet ista persequi & tuam prode re in-
fantiam. Docebam vnde caloris exuperantia
in oleis cinamomi, ceræ, caryophyllorum.
Libani Responderebat Riolo esse idem
temperamentum sed gradu auctum. Gram-
mano calorem natium, cælestem, mutatū
in igneum. Ego contra, demonstraui impos-
sibilem esse cælestis in elementare mutatio-
nem. dixi qualitates primas intendi & re-
mitteri, sine cælestium interitu. Calorem cæ-
lestem illibatum manere etiam in istis exu-
perantiis elementorum. Vnde ergo hæc ca-
loris summitas dices? Sic satisfeci, materia
elementi est ita attenuata laboribus chymi-

cis, calor elementi dominantis adeo auctus
 ut ad summum accedat. Addidi experimen-
 tum. Quod tantus calor remitti soleat con-
 trarij elementi permistione. Ut vitriolum
 aqua adiecta. Vnde concludo non esse cœ-
 leste quod augetur, quod exuperat, quod
 nocet, quod contrario moderatur. quia ca-
 lor cœlestis nunquam exuperat, nunquam
 vitio datur. non habet contrarium quo re-
 mittatur. Vnde concludo horum reme-
 diorum efficaciam contra Libauium. Qui
 & nostras infusiones accusabat, quod ni-
 mio liquore dilutæ sint, vnde propria fa-
 cultas hebescat. Sic enim nunquam labefa-
 ctatur salutaris & optabilis facultas à cœlo
 oriunda. Abi ergo Censor ignare, qui ex
 his colligebas caloris natiui deffinitionem,
 legere nesciens, nec scripta intelligere va-
 lens. Sic Columbo, sic Hyppocrati, sic Me-
 dicis Parisiensibus sub Ludonico ix. impo-
 suisti. Quam tædet & pudet ita rudentem
 asinum audire.

O B I E C T I O X X V.

*Chymica propter elaborationem perfectiorem lau-
 dat & contrarium asserit pa. 67. 69.*

S O L V T I O.

Aut cæcus es animo & corpore, aut des-
 D ij

peratae es nequitiae. Quasi vero quod diligenter paratis tribuo, id ipsum concedam Libauianis? Et toto illo capite demonstro Libauij artificium veritati aduersum. Adeo es bardus & stupidus, vt nescias quid laudetur quid criminetur.

OBIECTIO XXVI.

Pereant feruor, acrimonia simulque vim purgantem exalta. Tum dicam te Chymicum eximium. tum Parisienses habebis fautores.

SOLVTIO.

Quidni vero probi docti & φιλόσοφοι fauebunt. Tu qui nescis, quid bonum, quid vtile, non eris ex eorum numero.

OBIECTIO XXVII.

Malim ego Parisiensem & omnium Dogmaticorum pharmaceutica, quam tua.

SOLVTIO.

Quis hic error. Nonne tuam prodis vesaniam? Cum te & tua laudo, recalcitras. Errorem clamas. Erraui fateor. Tu es laude indignissimus. Ratio est in antedictis, asine. Nam si Libauiana deteriora sunt integris,

quidni ego Pharmaciam anteponam Chymia Libauij? Carneades tibi Elleborum, ut scripta intelligas.

OBIECTIO XXVIII.

Est natura nostra rheo, sennæ, panis, vino, loco propria vegetantis. Tunc illa viuunt nobis.

SOLVTIO.

Quidni vero ignare? Dum vituli caro mutatur in tuam substantiam, visne manere vituli & sentientem & vegetantem? Nonne tu vegetante, tua natura informatur panis assimilandus? Nonne viuit cum fit pars viueris? Et vnde hoc motus initium nisi a constituta? Viuent rheum propria forma informatur, anima *εντελεχία* agitatur. At emolui & introsumpti qua virtute incitatur factas? Si retines in carne vitulina animam biti, qua velis tuam restaurari, caue ne continua accessione vitulus fias. Facilis enim est inter symbolica transmutatio.

OBIECTIO XXIX.

Vniuersale affirmat ex mineralium familia orindum.

D iij

S O L V T I O.

Verum hoc deffendo secundum materiam. Sulphur vegetabile præterea desideratur. Sed hoc occultum tibi. Caue ne te occidat.

O B I E C T I O X X X.

Liquor ille qui elicitur ex mineralib. vniuersalis, cælum dicitur. adeo conuenit cælo vt cælum ipsum dicatur.

S O L V T I O.

Sic loquuntur authores. Quinta est entia. quintum elementum Aristoteli. Typus est artis. Non aliter ac Riolanus debat succum esse animam plantæ. Sic anima diffusa est per vniuersum, vt quodāmodo plena animarum sint omnia. Sic & plera cælorum. Malitiosè sententiam deprau. addendo (qui elicitur ex mineralibus) non nisi sulphur vegetabile desiderari.

O B I E C T I O X X X.

Nostram pharmaciam deprimi & Chyniam extollit.

S O L V T I O.

Erras, mentiris. Non de primo pharmacia. sed illustro, locupletio ista Chymia accessione. Quicquid Chymicum, volo pharmaceuticum. Quasi dum posteri medicamenta Hippocratis & Galeni accuratius præpararunt, pharmaciam neglexerint. Sed si chymia nihil conferret, quæ eius necessitas? Cui bono Riolanus pater admisisset Scholæ nomine, nisi ut Libauij Triumpho daretur locus?

O B I E C T I O X X X I I.

Aurum addetur liquore conuenienti solutum.

S O L V T I O.

Verum hoc est. Quid inde? Quis error? nisi tuus ex tua ignorantia?

O B I E C T I O X X X I I I.

Damnat nostra medicamenta ex Integris composita.

S O L V T I O.

Erras. Non damno. Sed dico plus posse

32

Chymica simul mista. De quo' peculiari
capite.

OBIECTIO XX XIII.

*Manus Chyrurgi citatur, tardatur ad arbitrium.
quanto magis medicamentum quod constitutos ha-
bet actionum terminos.]*

S O L V T I O.

Sanè quod à natura est non potest aliter
se habere. Natura est fixa & mutari nescia.
Naturæ motus non sunt in nostra potesta-
te. Quod ergo benignum medicamentum
non potest natura sua, nulla arte, nulla præ-
paratione acquiras. Satiùs est ad valentius
transire. Vt benigna Chyrurgi manus fit
crudelis in necessitate. Si cinamomum na-
tura sua non potest escharam inducere, ad
escharoticum veniendum. Aloe eccopro-
tinum est, nūquam serum in capite, in habi-
tu exundans euacuabit. ergo ad hydragoga
confugiendum. Sic sæpè à minoratiuis ad
erradicantia. Nequis sensum assequi, & er-
rorem putas.

OBIECTIO XXXV.

*Non est artificis rerum naturas ad maiora co-
gere.*

S O L V T I O

S O L V T I O.

Ni hoc verum doce, contrarium. Fac vt
medicamentum primæ regionis per se pri-
mo tertiam euacuet. Vt cholagogen fiat
phlegmagogen. Potest quidem vehemens
mitius reddi, non contra.

O B I E C T I O X X X V I.

*Laudat mercurium laudabile præsidium, cuius
maleficia calumniatores obiectant, tacent commoda.
sublimatione paratum mercurium extollit. Est in
occiso, suffocatoque hydrargyro secretum.*

S O L V T I O.

Vera hæc sunt omnia. Tu calumniato-
ribus similis. Tibi vt Libauio hæc inco-
gnita.

O B I E C T I O X X X V I I.

*Purissima & laudatissima mercurius extrahitur
ex corpore magnesia, id est antimonij.*

S O L V T I O.

Pol! tu es consultissimus Chymicus, cum
tua interpretatione de magnesia. Minerva
E

suem doceret, si de his plura. Laterem lava-
rem. nihil enim sapis, nihil capis, Si magne-
siam velis stibium. ergo Hippocrates dedit
stibium suis ægris, ut est lib. de intern. af-
fect. dum nominat ἰδοντὶς μαγνησίης. Et Pli-
nius malè voluit magnetem hoc nomine.
Sed an ignoras concordantiam adiectivi
& substantivi, dum copulas, laudatissima
Mercurius? Tuæ scholæ improprietates &
soloecismi hoc extorserunt; dum tribuis
puro mercurio, quod crystallinæ eius sub-
stantiæ debetur, quod es ad artem refertur.
Dicitur enim, eadem arte mercurius præpa-
ratur, per mercurium extrahitur. Et hîc pro
more soloecizas. Misera Parisiensium me-
dicorum Schola, nisi cautiores habeat Cen-
sores. Infamis si tales approbet. Quid ergo
mirum, si octo cæci hîs Censoribus edocti,
brutum illud fulmen fabricarunt? Quàm
prudenter triginta periti & generosi Ascle-
piade has imposturas sua authoritate spo-
liarunt.

OBIECTIO XXXVIII.

*Venena & medicamenta mutuo permutantur,
non solum usu, sed quod præstabilius, præparatione.*

SOLUTIO.

Quidni vero asine? Venenum dicitur ab

effectu φαρμακὸν φέρον ἄκος. Dicitur & medica-
 mentum φέρον ἄκος. Quod si non venenet, sed
 medeatur, quidni dicetur medicamentum,
 non natura, sed usu? vicissimque usu nefario
 medicamentum natura salutare, fiet delete-
 rium? Dum sublimatum pro cauterio datur,
 ex veneno fit medicamentum. Dum rhahar-
 barum datur calido & sicco Iecori, mors e-
 ius est. Quod attinet præparationem, oleum
 de scorpionib. theriaca, & alia multa fidem
 facient. Serò saltem sape, si non serio.

OBIECTIO XXXIX.

*Mercurij præparatio mirabilis est, qua ad vni-
 versalis naturam ascendit, adeo naturæ placet, ut
 nihil moueat, si nihil oberret in viis communibus.*

SOLVTIO.

Hoc verissimum est. Quid tum? Si talia
 potest nōne catholica imitatur? Scilicet va-
 cuat, quod diffluit in aluo. At certis tempo-
 ribus certi humores redundant, ut sancit
 Hippocrates. Quidni ergo educetur quod
 fluere paratum est? Natura spontinis pertur-
 bationibus τοῖσι πλεονασμοῖς τῆς κοιλίης sæpè idem
 molitur, & cum sennam tuæ omnes schedu-
 læ habeant, vide si velis vniuersale. Vnus ex
 tuis Thessalo breuius medicum formauit
sola sennâ & syrupo rosarum instructum.

E ij

Theſſalus volebat aluum mouere & ſiſtere.
Huic ſatis eſt mouere. Propterea illi & tibi
Chymia eſt inuiſa. Nimis operoſa eſt in tot
laboribus, quos dedignatur maietas Theſſ-
ſalica.

OBIECTIO XL.

*Ergo horum effectuum cauſa frigori, non calori
eribuenda.*

SOLVTIO.

Quorum vero deprauator? Tu inſigni
malitia argumentaris à diuiſis ad coniuncta,
vt lectori imponas, & mihi, quod damno.
Quaſi velim facultates ſalutares à frigore,
cum potius maleficas illi referam. Vt tu
cum tuis deſinas pro veneno corroſiuo ha-
bere. Id enim tam falſum eſt, quam te eſſe
bonum medicum.

OBIECTIO XLI.

*Hydrargyruſ veneni expers eſt. expers & ſti-
bium. intrepidè datur à Græcis, Arabibus ad ex-
ternos & internos affectus.*

SOLVTIO.

De crudo & nondum præparato nullus ni-

si tibi similis, id est, ignoratissimus, negabit. crudum enim aut simpliciter vstum tractarunt veteres. Quomodo & antidotaria admittunt idipsum. Dioscorides miscuit elaterio. Quaecunque addis truncata, vera sunt eo sensu, quo descripsi, non tuo. Eodem purgat Hippo. nomine πτερόν. stibium Galenus interpretatur, vt & Fœsius & alij.

OBIECTIO. XLII.

Ex illo crystalli habentur, qui nulla vacuatione tertianas expediunt & quartanas.

SOLVTIO.

Quidni vero, si præcesserit euacuatio? Tum contumaces obstructions liberantur, febris causæ continentes. An insensibilem molitur euacuationem, nō aliter ac theriaca flatuosos intoxicatorum tumores dissipat? sed si id efficit sine euacuatione, an ea excluditur necessaria & catharticiis aliis comparanda? Hæc volui vt te riderem & tuos qui vomitum putas à stibio inseparabilem. Nam arte, quælibet euacuatio subtrahitur, tanta est artis vis. Hoc quia te fugit, erroribus tribuis. Ignoras, quia tuæ & vulgari Pharmaciæ impossibile.

E. iij

OBIECTIO XLIII.

*Nulla ante Galenum excogitata est intemperies,
quam Hippocrates inutilem pronunciauerat.*

SOLVTIO.

Disce ex Hippocrate. nuda enim intemperies intelligitur. Disce ex Simonio & aliis iuniorib.

OBIECTIO XLIIII.

*Potest natura simili substantia restaurari, potest
reponi non solum similis sed fortior, sed constantior.
Nam si ars potest naturam imitari, quidni & ipsam
superabit? Chymia hoc vnum potest. medicamento-
rum & venenorum vires permutat salutaribus.*

SOLVTIO.

Verum in conualescentibus, in naturis morbofis. quod declaratur verbo restaurari. Qui resurgunt à morbis, alimentis euechymis, eupeptis, naturæ amicis restituuntur. Multoque magis si chymiam experta sint, vt gelatina, distillata, restaurantia & similia. Sic qui fugaci erant valetudine, curati constantiorem ostendunt. Cætera non minùs vera, & inuictis experientiæ testimoniis comprobata.

OBIECTIO XLV.

Laudes Chymiae & Chymicorum referi.

SOLVTIO.

Optimo quidem iure, quamquam non eas
quas promeretur.

OBIECTIO XLVI.

*Aurum potabile deffendit, quod ab eruditis me-
dicis damnatur.*

SOLVTIO.

Quinam vero illi? Qui vt cæci de colori-
bus iudicant. Esne cum Fernelio comparan-
dus? Scilicet, qui tecum sentiūt, tibi soli, soli
sapiunt, tibi eruditi, nō sunt doctis, non expe-
rientiæ, nō inuictis demonstrationibus, non
veritati. Tu ignota habes cum tuis, pro im-
possibilibus. Quod de igne addis ex pag. 138.
verum est, de quo antè.

OBIECTIO XLVII.

Natura res suas facit modis arti incomperis.

S O L V T.

Sed quis error asine? mistionis modus soli Deo & naturæ cognitus. Tu-ne Deus es, qui hæc noris? O idolon vero veneratione dignum! Tu potius naturæ monstrum, quàm natura.

O B I E C T I O X L V I I I.

Approbat Chymiam.

S O L V T.

Quidni vero stulte? Eam probant docti omnes. Probavit Schola per tuum parentem.

O B I E C T I O X L I X.

Impudenter profert historiam leprose mulieris persanate Chymicis remediis, ut eorum efficaciam extollat. Testes adducit medicos qui non viderunt.

S O L V T.

Tu vero insigni es impudentia, qui negas doctos medicos eam visitasse, talemque prononciasse persanatam affirmo ab Elephantia: quanquam superfit cutis affectus, qui potius inquit Hippocrates, turpitudine est, quàm morbus, topicis delendus, ut habet historia. quam veram deffendo.

O B I E C T I O

OBIECTIO. L.

Parisienses medici ostendent Persanctam.

SOLVATIO.

Me me adsum qui faciã, si placeat superis.
Vbi cutis fœditatem & turpitudinem meis
remediis deleuerimus. Tanta autem est vt
tam cito non possis. Cacoetthiam abesse
nos asseueramus quam reformidabat Hip-
pocrates in cancro occulto. Tumores enim
tuto aperiuntur causticis, vlcera claudun-
tur cito. Quid tu ad hæc insanis? Tibi nostra
præsidia quæ bilem *ἀνεγτον* vacuent, vt sis
Carneadēs prudentior.

OBIECTIO LI.

*Dedimus aurum potabile exuberatum supra sphe-
ram exaltatum nec reductile & antimonium.*

SOLVATIO.

Vera omnia de quibus antè. Omittis pro
more in antimonium, non vulgare, quia
ignoras quid sit.

F

OBIECTIO LII.

*Sanè si decantatum lapidem haberemus, morbus
omnis vnico mense vinceretur.*

SOLVTIO.

Quidni si vera sunt locuti authores? Scias
velim me non id affirmare. Sit possibilis aut
impossibilis lapis nihil ad nos. Nominatur
qualis describitur ab illis, qui nec rationi-
bus carent. Votum nostrum est pro artis
ornamento, pro agrorum commodo. Si
non licet habere liceat exoptare. De hoc
plura nomine vniuersalis. Vbi hæc tua ob-
iecta exploduntur.

OBIECTIO LIII.

*Existima Alchymiam veterum illis in summo præ-
tiorio esse, tantum abest vt calumnientur.*

SOLVTIO.

Alchymia omnis, vera est aut falsa, vetus
aut noua, medica aut Paracelsica. Veram di-
co veterem, medicam, pharmaceuticam. Fal-
sam Paracelsicam. De vera, Geber, Auicen-
na, Rasis, Bulcasis, Mesues, Fernelius,
Syluius, Palmarius, Liebautius, & Riolanus

Scholæ, vt est in solutione quarta declarata. Aut ergo cum his sentire debes, aut cum Paracelso, nisi recantare malis, & Parentis cineres tuo mendacio inficere. Quid ergo ô Scholæ Parisiensis procures! An patiamini his næuis, his cicatricibus vestrum nomen deturpari, defœdari? Si hæc vestrum omnium est Palinodia, etiam in obiectione 48. expressa, iustus ne fuerit Libauij triumphus? Maturè sapite; Non sero, sed serio. Hoc monstrum Censorium vestra auctoritate indignum spoliare, ne malè apud omnes exteros audiatis. Ne videatur clarissima schola Panagæa Diana. Censuram sequentem approbate, desumptam ex probatis authoribus nostræ quondam scholæ clarissimis syderibus. Ne fidite vestrum nomen exteris nationibus honoratum his Geryonibus, qui Chymix prorsus ignari, de illa tamen apud vos omnes legitimè congregatos dixisse impudentissimè mentiuntur. Vestrum Palmarium pro vobis contra aduersarios vestros dicentem, ab eiusmodi laruis illæsum custodite.

F ij

CENSURA IN FULMEN

VENTANEVM, AB IDIOTIS aliquot euulgatum falso Scholæ medicæ Parisiensis titulo, Contra M. P. Palmarium Doctorem Parisensem, Ex scripta ex Commentariis Hippocratis Galeni, necnon Fernelij, Syluij, Palmarij, Liebautij & ipsius Scholæ placitis obuallata.

*Lib. De
arte.*

SERMONVM in honestorum arte, ea quæ ab alijs inuenta sunt turpiter inceslere, non corrigendi, sed ea quæ à peritis inuenta sunt apud imperitos calumniandi studio, id non scientiæ institutum & opus esse videtur, sed aut petulantis naturæ, aut ignorantia iudicium. Solis enim iis qui artis ignari sunt, & ambitiosè quidem inuident, propter imperitiā vero meliora præstare nequeunt, conuenit, ut ad aliorum opera vel recta calumnianda, vel nō recta reprehendenda, sese conuertant. Inuenire aliquid eorum quæ nondum inuenta sunt, quod ipsum notum quā ignotum esse præstet scientiæ institutū ac opus esse mihi videtur. Similiter & imperfecta ad finem perducere & absolvere.

Τὸ λόγον ἔ καλῶν τέχνη τὰ τοῖς ἄλλοις εὐρημένα αἰ-
σχύνειν παρορθεῖσθαι, ἐπαγορεύοντα μὲν μηδὲν, διαβόη-
λόντα ὃ τὰ τῶν εἰδόντων πρὸς τοῖς μὴ εἰδότας ἐξευρήμα-
τα, ἔκτετι δοκέει ξυνέσιος ἐπιθύμημά τε καὶ ἔργον (ἔ), διότι
καταγελῆναι μάλλον φύσις, ἢ ἀτεχνῇ μόνοις γὰρ τοῖς αἰ-
τέχνοισιν ἡ ἐργασίη αὐτῇ ὁρμῶζει, φιλοτιμυμένων μὲν, ἔδα-
μα ὃ δυναμένων κακίης ὑπεργίειν, εἰς τὸ τὰ τῷ πέλας
ἔργα ἢ ὁρτὰ ἔόντα διαβόηειν, ἢ ἔκ ὁρτὰ μωμείεσθαι. ἐμοὶ γὰρ
τὸ μὲν πὶ τῶν μὴ εὐεπισκομένων ἐξευείσκειν, ὅπ' ἔεὐρεθὲν
κρέσσον, ἢ ἀνέξεύρετον ξυνέσιος δοκέει ἐπιθύμημά τε καὶ
ἔργον (ἔ), ὅτι τὸ τὰ ἡμέτερά ἐς τέλος ἐξεργάζεσθαι ὡσαύτως.

Atque ego sanè non multum abest quin *Cal. l.*
illorum laudem sententiam, in eamque *simpl.*
promptè accedam, proque hac assertione
atque opinione pericula omnia subeam si
quam machinam aut artē inuenire queam,
sicut in lacte contrariarum partium separa-
tionis, ita hic quoque.

καὶ ἔργον ἂν ἐπηρεῖσα τὴν γῶμιν αὐτῶν, καὶ ἐτοίμου
παρασηκίαν. καὶ συνεκινδυνεύουσα πρὸς τὴν ἀπόφασιν τε
δοῦναι, εἰ τίνα μηχανὴν ὁξεύρειν ἢ δυνάμιν, ὥσπερ ἐν
γάλακτι τῶν ἐναντίων μορίων τῆς διακρίσεως, ἔτω καὶ αὐ-
τὰυτὰ.

Excogitata multis hominibus ratione
qua partes caseosæ à serosis separari pos-
sint.

πολλῶν τοῖς ἀνθρώποις ὁξευρημάτων τρόπων εἰς τὴν
διέκρισιν τῶν πρῶτων μορίων ἀπὸ τῶν ὀρρώδων.

Διδόναι τὸ ἀπ' ἐρεβινθῶν λευκῶν ὕδαρ ἐψῶν πίνειν, *Lib. de in-*
ἐν τῷ οἴνῳ διακρινῶν καὶ δίδοναι *ternis af-*
δαμεν τῷ πετραζῶν. *Cicerum alborum deco-*
fectibus.

Cal. in
exegeſi
pocum.
Dioſcorid.
caſ. 149.

Etum potui dandum vino miſtum nomine
& caput tetragono purgandum.

τίνες μὲν τῆς εὐεισκομένης καὶ τὸ σίμμι πλαξί, τίνες
ἢ αὐτὸ τὸ σίμμι.

εἰ μὲν ἐν δέλφει καὶ κοιλίαν καθαίρειν, διπλάσιον αἰλῶν
μίξαν & σίμμιως ὅσον χεῶσαι. Si ex aluo velis
purgare, duplum ſalis miſceto, & ſtibij quā-
tum conuenit, pro pillula erui magnitudine
diluta aqua δι' ὕδατος ὀροβιάϊα καὶ ἀπόπα δίδου.

Fernelius in dialog. de abdit. rer. cauſ.

Tu mihi refricare videris purioris philo-
ſophiæ memoriā propè inter-mortuam
& vulgaris illius ſophiſticæ (puta Paracelſiæ)
cauillis obrutam. Etenim ſuſilis & metalli-
cæ illius philoſophiæ τῆς χημείας cum primis
ſtudioſus exiſterem, exercitatiſſimo admo-
dum præceptore uſus, ex vnoquoque tum
ſtripium tum viuentium genere ſubſtan-
tias elicui planè varias, primum quidem a-
quam, deinde oleum, non id quidem pingue
ac ſordidum quale preſſu ex amygdalis &
ſeminibus trahitur, ſed artis præſtantiſſimi
opus, quod tempore nec ranceſcat, nec fa-
cilè corrumpatur.

Efficacior virtus eſt in oleo, multoque
in rubente quam in albo; illud ſi quidem
& odore & ſapore totius ſubſtantiam re-
ferens, propria ſedes dignoſcitur inſiti ſpi-
ritus & caloris, in quibus proprietas tota
ſubſiſtit foueturque. A fece terrena & ab
aquoſo humore quaſi ab impurorum ele-

mentorū vinculis vindicatum oleum, purius quidem euadit perinde atque venarum sanguis ab alui fæce & ab vrinis expurgatus, & quæ sequuntur. Tandem sic concludit Missa igitur tam vehementi de pecunia opinione, satis nobis sit è rebus singulis syncerum quippiam purissimumque elicere, in quo vis illa occultarum proprietatum infideat summa.

Syluius in Mesuem. Oleorum quartum genus à Sapientibus multis descriptum, hodie chymistica arte magis perficitur, vim quandam in concreto & composito occultum manifestante. Hæc nanque ex liquoribus gummis resinis, ex plantis pinguibus, ex plantarum & animalium partibus omnibus ipsum velut gluten terreæ substantiæ, humorem insitum pinguem imputribilem maximè, vi ignis secretum, nunc sursum attollit vel deorsum præcipitat, rem omnibus aliis planè diuiniorē, si Vlstadio in cœlo Philosophorum & Gebero & veritati credimus. Quanquam hodie sunt idiotæ quidam, magnorum tamen medicorum nomine se venditantes, qui id ipsum ceu nugatorium calumnientur, vt alia propè omnia ipsis ignorata, solas, vt vocant receptas scribere, nulla tamen ratione scientibus.

Iohannes Liebautius quatuor libros fecit de Medicinæ secretis deque philoso-

phia chymica, in quibus agitur de essentiis oleis, salib. aquis; deque auro potabili Gallico idiomate. In præfatione multa de Chymia vtilitate recenset. In Capite de antimonio sic ille.

Stimmi recentioribus Chymistis & seplasiariis antimonium, nunc vulgo magna experientia celebrari atque miris laudibus extolli solet. Parantur autem ex eo tria remedium genera quibus vel intra corpus adhibitis, vel foris admotis miracula faciunt, oleum siue quinta essentia, pulvis & vitrum iis dictum.

Julianus Palmarius lib. 3. de morbis contagiosis.

Omnium remedium Elephanticorum vires superat catharticum nostrum metallicum acrem omnem ac ferinam humorum omnium qualitatem ac malignitatem mirè obtundens, ac nihilominus blandè adeo aluum soluens, ut pueris ac prægnantibus tutò dari possit. Constat ex hydrargyro & auro sic permistis atque immutatis longa maceratione ut vim cathartica assequantur. Vna autem & eadem opera & pituitam ac crassos omnes humores expurgat, & calidam & siccam viscerum constitutionem emendat. datur granorum sex pondere. Illic describuntur & catapotia ex hydrargyro quæ retorridæ bilis, & omnia

nium acrium ac malignorum humorum
ferociam domant & compescunt, eosque
sensim expurgant nullo ventriculi incom-
modo.

Iohannes Riolanus in Libauimania.

Noua remedia noua præparatio Dogma- Pag. 20.
86.
ticam illustrat.

Præparationes quas schola non damnat Pag. 10.
in cælum tollis.

Pag. 10.

Ad Arabum imitationem quotquot ex-
cogitari vnquam poterunt noua remedia &
nouæ præparationes nouæ formæ ad phar-
macëuticam refferenda iterum atque ite-
rum contendo, neque propterea aut illa re-
iicio aut reiicienda esse existimo.

Vt constet deinceps te ad scholæ men- Pag. 20.
tem disputare, tibi ex officio incumbit con-
firmare quartam sectam illam principiis,
causis, signis, & remediis ab Hippocratica
differentem. Non tantum Schola per suum
Censorem semel atque iterum significauit
se non promiscuè Alchymiam omnem ex-
terminare, sed eam tantum quæ principiis
falsis & ridiculis Hippocratis medicinam
subuertit. Verum etiam suæ Censuræ hanc
clausulam inseri voluit. Et similia multa.

In prælectionibus manuscriptis capite
de Elephantiasi. Chymici curam affirmant
per suum aurum potabile.

G

50
PRÆPARATRICES CHIMIÆ,
Necessitas iterum.

Scientiæ votū, inquit Hip. est imperfecta ad finem perducere, Inuenire ea quæ nondū inuenta sunt, modo inuentis adiuncta vtilis necessitas. ἐμοὶ γὰρ τὸ μὲν πρὸς τῶν μὴ εὐελοκομένων ἐξευρίσκειν, ὅπερ εὐρεῖν κρέσσον ἢ ἀντὶξευρέτον, ξυνέσιος δοκίει ἐπιθύμημα πρὸς ἔργον ἔστι, ὅπερ τὰ ἡμέτερα ἐς τέλος ἔξεργάζεσθαι αἰσάτως. At morbi quamplurimi pharmaceutica medicamenta i. vulgò præparata contempnunt. Dum onus detrahitur, naturæ proportio ad morbum, admodum consideranda. Alioquin longissimi affectus, qui naturæ infirmitatem sequuntur. Difficiles, qui causam contumacem, humorem refractarium habent. Necessaria sunt, quæ naturam instaurent ad pugnam, quæ humorem cicurent. Magna ergo necessitas inueniendorum. Inuentorum summa vtilitas. πέχνη γὰρ αἰσθαμένη ἀξίῳ θεραπεύειν, σκοπούσα ὅπως μὴ τὸ λυμὴ μᾶλλον ἢ γνῶμη, ὁρᾶσάντων μᾶλλον ἢ εἰν θεραπεύει. Ars malum animaduertens, mederi magnoperè gestit, id vnum considerans, ne temeritate magis quàm consilio, & vt facilitate magis quàm violentia medeatur. Tuta scilicet, quæ consilio & ratione ducibus, inuenta proponuntur. Omnino vtilis sine violentia facilitas. Nam dum ægri exosas poriones accipiunt, & aut purgationibus, aut alio modo pereunt, soli medico culpa imputatur. Quantò magis ergo siue:

hemētia, si maligna, si deleteria medicamen-
ta sint, si ingrata, si exosa ! οἱ νοσούντες τὰ μισητὰ
ποτήματα λαμβάνοντες ἢ φαρμακευόμενοι, ἢ θεραπεύ-
όμενοι ἀνιρέθησαν, πλὴν ὅτι ἰντρῶν τιμὴ αἰπάντως προσήλαν.
Omnia ferè Hippocratis, deleteria erant.
Convulsio ab elleboro lethalis, propterea
tale eius votum. Scilicet difficile ac ferè im-
possibile cōsiliū, sine violentia. Spes faci-
litis temeraria. Ergo inueniendorum ne-
cessitas, scientiæ & artis voto respondens.
Imò & artificii gloriosa, suā fori honorifica
vtenti salutaris. Infamiæ metus, medico
φιλοτεχνῶν, ne ars honoratissima culpetur. Ne
natura inops videatur in sua ἀεργονίᾳ quæ
planè medica est. Natura exponit medico
sublunaria omnia. Scientia benè medendi
animum in format theorematis veris, cer-
tis, perpetuis. Sed quæ singularibus exem-
plis confirmantur. Exosæ potiones gratæ
fiant, benignæ, salutare; vt temeritas cedat
cōsilio, vehementia, cacoethia in εὐφορίαν,
in facilitatem mutetur. Rerum magister v-
sus, quasi αἰδομένης posteriorum ætatem do-
cuit, maiorum calamitates in benignitatem
commutare; quasi πολλὰ ἐς γνώμην, ὅτι ἐς ῥαστώ-
νην. Singula ferè Hippocratis cathartica de-
seruit, quia deleteria soloque nomine nunc
cognita. Elleborus ambigitur, peplum, sil-
phium; ignoratur cuminum Æthiopicum,
controuertitur cnestron, calamum odora-
tum aperuit Garcias ab horto. Spina Ægy-

ptia, hypophaes, acacia cneoron, granum
 cnidium, nitrum rubrum Ægyptium vix
 sciuntur. Quod vehemētiam attinet *δοξασίας*, ferrei ventres vix vetatra, elateria, can-
 tharides, peplia, ranunculos, tithymalos,
 mandragoras sustinerent. Paucissimas Ga-
 leni compositiones habent nostra antido-
 taria. Itaut verè dicas totam pharmaciam
 immutatam. Scilicet inuenta meliore fruge
 glans abdicanda. Postremus dies, est magi-
 ster prioris. Animorum postremi partus sa-
 gaciores. Formæ metaphysicæ separabiles,
 aliter se habent à physicis, ab inseparabili-
 bus. Illæ agendo, senescendo, perficiuntur;
 quia ab omni materia liberæ; Hæ vero ma-
 teriæ conditionibus alligatæ, illius sequun-
 tur mutationes. Cōsenescunt commorun-
 tur, compatiuntur materiæ Agendo lassan-
 tur, infirmantur. Ergo nouitas non reiiciet
 inuenta vtilia, sed maiorem conciliabit au-
 thoritatem. Deinde quid iam vetus quod
 non fuerit nouum?

Horat.

*Quod si tam Græcis nouitas inuisa fuisset
 Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid
 haberet.*

Terent.

*Quod legeret tereretq; viritim publicus vsus?
 Nunquam quisquam tam benè subductæ ra-
 tione ad vitam fuit.*

*Quin res ætas vsus semper aliquid adportet
 noui.*

*Aliquid maneat vt ea quæ te scire credas
 nescias*

Et quæ tibi putaris prima in experientia repudias.

Non dubitarunt Arabes sua benigna Græcorum deleteriis substituere, anteferre; etiam Hippocratis & Galeni. Quin in doctrina, in præceptis, innouarunt multa, immutarunt non pauca; quæ & posterior ætas castigauit. In hos & illos plurima notauit animaduersione dignissima. Scilicet natura sacra sua non simul & semel tradit; grauidarum immensitate, perpetuo parturit aliquid nouum. Verè filius Rhœis multas artes addisci posse cum tamen adhuc lateant, quia ignorantur causæ. Non est ergo quod nouitas à Chymicæ cultu nos deterreat. Non est abdicanda etiam si non viderint priores. Philosopho liberum est attentare supra maiores. Maximè verò medico. Sacramentum habet non cum maioribus, sed cum vera vtilitate. Vnus medicus ridet αὐτὸς ἑφα Pythagoricum. Maiores non Domini sed Duces nobis fuerunt. Supra cætera artis complementum commendarunt. Mouemur quidem summorum virorum authoritate, sed multò magis vtili veritate.

Vtile id est, cuius accessione multa nobis veniunt commoda. Necessarium, quod ea præstat aliis impossibilia. Vt differt plurimum, benè esse, ab esse simpliciter, sic benè mederi à mederi simpliciter. Fuit Galeni

(G ii)

votum nosse separationem substantiarum
 aceti vt lactis. εἰ πῖνα μηχανὴν εἰσερεῖν ἢ διαάμιν,
 ὡς περ ἐν γάλακτι ἢ ἐν αἵματι μολύνει τῆς διακρίσεως,
 ὥστε καὶ τὰ πάντα. Notam dixit quibusdam ho-
 minibus πολλῶν τοῖς ἀνθρώποις εὑρημένων τρόπων
 εἰς τὴν διάκρισιν τῶν πυρῶδων μολύνει ἀπὸ τῶν ὀρροδῶν.
 Quidni optabilis cæterorum medicamen-
 torum? Medici toti fuerunt, in corrigendis
 medicamentis; ne bonum malis obscure-
 tur, ne commodum damnis vincatur. Vbi li-
 cuit gratiam & facilitatem conciliarunt
 dulcoratione, clarificatione. Optimus enim
 qui misceat vtile dulci. Curandum tutò, ci-
 tò, sed si fieri possit & iucundè. Curationis
 labor, dolor, alter languenti morbus.

At Chymia ex Galeni voto contrarias
 medicamentorum substantias tollit. Vtiles
 liberat facultates à noxiis. Gratiam & iucū-
 ditatem conciliat sublato ingrato. Propo-
 natur vnum pro multis exemplum in su-
 blimato, hoc venenum est præsentissimum.
 Hoc ipsum possum adeo blandum, adeo
 gratum reddere, vt innoxie deuoretur, etiam
 vsque ad drachmam. Fortasse autem talia,
 dicent momi, sunt sine viribus, nec iuuabūt
 nec nocebunt. Labor erit in damno, cres-
 cet mortalis egestas. At ego assero, letheas
 vires ita salutaribus permutatas, vt ex ve-
 neno fiat venenorum & venenatorū mor-
 borum alexiterium. Contagiosi morbi, ve-
 nenati creduntur omnibus. De lue vene-

rea, de peste, nulla dubitatio. At hoc medicamento certam polliceor luis venereæ curationem. Luis pestiferæ magnū auxilium. Ulcerum omnium malignorum tutissimum præsidium. Quidni ergo hoc medicamentum adeo vtile, adeo necessarium recipimus? Quidni laudabimus artem illam, quæ sit tantorum bonorum causa? Quod de sublimato dictum est, verum in cæteris demonstrabitur, venenum permutando. Atque hæc de simplicium impermistorum correctione. Iam de compositis. Multa enim compositionis necessitatem conuincunt. Cōposita non minùs quam simplicia Chymicæ vtilem necessitatem demonstrabunt.

Componuntur autem medicamenta, aut vt ex multis vna exurgat facultas, singularem vires complexa, vt multis visum est; aut vt mistæ sint singularem potestates cōtra mistos affectus. Maximè vero vt malignæ emendentur beneficis, immoderatæ temperentur moderatis, calidæ frigidis. Integra non sat citò, non sat benè miscentur, vt pulueres, conseruæ, & similia: multòque minùs si pulueres sint mineralium, vt gemmarum, vnionum, auri, argenti, terræ leuaniæ, armeniacæ, vt in opiatis, in pillulis, in pulueribus, in tabellis, conditis, &c. Talia non sunt mistilia, non facile diuisibilia, vix alterabilia, quæ & nostræ naturæ resistūt. At chymicè elaborata, sunt facile diuisibilia, magis actiua, citiùs & perfectiùs miscentur. Se-

se mutuo subeunt facilius, contactus minorum est facilis. Mistio, correctio, celerior, certior. Integra vix miscentur, vix coeunt etiam longo tempore. Extractum esnæ, extracto rhabarbari miscetur facilius, quam pulvis pulveri. Aqua aquæ mista, decoctum decocto, infusum infuso, vix ac ne vix quidem disiunguntur. Cita est & prompta mistilium chymicorum unio, ob presentes vires, ob contactum mutuum & per minima. Grata exiguitas dosi, & saporis carentia; quod desideratur in decoctis & infusis facile mistilibus. Ergo magna chymicorum medicamentorum utilitas. Quæ non tantum in diætâ sunt facilioris restitutionis & nutritionis, sed in virium lapsu tanquam diuina, in Chirurgia admiranda, in pharmacia facilia, præclara. Ad Diætâ pertinent extracta carniû, herbarum, fructuum, aquæ caponum, perdicum, pullastorum distillata restauratiua, liquores cardiaci, viuaces, spirituosî, essentiales, bezoardici, quibus cõfirmetur illud Hippocratis, in cibo *φαρμακὴν εἶναι*. Concludam hoc Hippocratis oraculo. Petulantis naturæ & ignorantie iudicium est, aliorum peritorum inuenta calumniari & ambitiosè inuideri. Solis ignaris & ambitiosè inuidis conuenit aliorum opera reprehendere calumniari, & propter imperitiâ nihil melius præstare posse. τὸ δὲ λόγον ἐκείνων πᾶν τὰ τοῖς διόσις εὐρημέ-

τα αἰσχύνην παρορμῆσαι, ἐπαπορροῦντα, μὲν μηδὲν,
 διαβδύοντα δὲ τὰ τῶν εἰδόντων πρὸς τὴν μὴ εἰδόντα ἐ-
 ξουρήματα, ἡκέτι δοκεῖ ζυνέστος ἐπιθύμημα τε ἔρ-
 γον ἔῃ, διὰ καταγελῆν μαλλον φύσις, ἢ ἀτεχνία.
 μόνουσι γὰρ τοῖσι ἀτέχνουσι ἡ ἐργασία αὐτῇ ἀρμυζει, φι-
 λοτιμουμένων μὲν, ἐδάμα δὲ δεωαμένων κακίης ὑπορ-
 χεῖν, εἰς τὸ τὰ τῶν πέλας ἔργα ἢ ὅρτα εἶναι διαβδύειν,
 ἢ ἢ ὅρτα μωμέσαι. περὶ τεχνίης.

QVINTA ESENTIA.

Mundus superior regit inferiorem, motu
 influxu, lumine. Prima est causa, vnde om-
 nibus motus initium, vnde omnis mutatio.
 Ex actione & passione colligitur substan-
 tiarum consensus. Symbolum contrariorū
 est causa congressus. Sublunaria mutationes
 experiuntur vniuersales, à causa generali,
 particulares à singularibus.

Anni pantes Ver, Æstas, Autumnus, Hye-
 ms generales sunt. Harum varietates, causæ
 inconstantiam supponunt, aut quid singu-
 lare, & a communi diuersum. Luna non so-
 lum in mense, quod sol in anno facit, sed
 præterea manifestum ostendit imperium,
 in mare & humida. Medulla cerebri Lunæ
 facies sequitur. Formica hisdem laborat &
 feriat. Soricum fibræ Lunæ ætatem certo
 demonstrāt Selenites eiusdem φάσεις osten-
 dit. Magnæ amicū polum aspiciunt. Flores
 omnes venientem Solem explicati venerā-

H

tur, abeuntem sequuntur complicati. Planetae sunt mundi partes principes. Horum coitionibus, aspectibus, Astrologi non solum mutationes temporum definiunt, sed vates diuini, morbos hominibus praenuntiant; ne quid de vita & moribus adiciam. Vnde conicitur causa particularis a generali diuersa. Nam cur hoc potius quam illud: his potius quam illis sideribus, siderum aspectibus, influxibus? Constituendum ergo corpus illud Aristotelis, diuinius elementis. quod vnde erit, nisi a caelis? Contagione tamen, quia quodammodo factum est elementare, non omnino idem est cum caelo, sed analogum & respondens. Est in elementis modo elementari; ut elementa in caelis modo caelesti, id est praestanti & diuino. *Sic igneus est ollis vigoret caelestis origo. Sic esse apibus partem diuinæ mentis & haustus aethereos dixere.* Silicet non solis elementis constant mista, sed est caeleste seminium illis inclusum. Non est enim crassum genitura corpus, verum semen, sed spiritus gignitiuus, qui origine caelestis est, contagione elementaris. Ignis est lucens, non vrens Platoni; oculus est ignea natura. Intellectus est το φῶς. Multi contendunt lumen esse corpus substantiale, sed caeleste, spirituosum quidem, si cum elementis comparatur. Sic caelorum, astrorum, angelorum substantia, ex luce est. Sic non erit qualitas,

non species, nisi relatè.

Ergo superius & inferius agunt, quia sese tangunt. Actio est, etiam physica, corporis, non virtutis solum. Materia mistorum ab elementis est. i. meteo. forma à cœlis. Sit ergo hoc corpus, hæc essentia, pro forma cōpositi; quam à cœlis oriūdā pluribus demonstravit Fernelius. Assentitur Aristoteles. de generat. animalū c. 2. Mas est qui gignit in alio, fœmina in se ipsa. In vniuerso terra est mater, Cœlū & cœlestia sidera pater, genitor. διὸ ἐν τῷ ὅλῳ τὴν γῆς φύσιν, ὡς θυγατέρα καὶ μητέρα νομίζουσιν, τὸ ἔχον ὃ ἐστὶν ἡλιόν καὶ εἰ πᾶσι τῶν δυνάμεων τῶν δυνάμεων, ὡς θυγατέρα καὶ πατέρα προσεταρῶσι. vnde concludit l. 2. c. 3. solis calor & animalium principium habet vitale: coniūgit solem cum animalibus, vt ostendat huic & illis eundem esse specie calorem. ἢ ὅτι τῆς ἡλίου θερμότητος καὶ ἡ τῶν ζώων ὁμοῦς ἐστὶ καὶ τὸ τοιοῦτον ἀρχὴν. Et paulo antè: Omnis animæ siue virtus siue potentia corpus aliud participare videtur idque magis diuinum quàm elementa. Corpus nominat vt intelligatur nō esse puram qualitatem, sed substantiam calori substratam. πάσης γὰρ ἐν ψυχῆς δυνάμεις ἐτέρῃ σώματι οὕτως κεραινωμένην, καὶ θεοτέροις τῶν καλλημένων στοιχείων. Et lib. 3. c. vlt. Generantur in terra, humoreque animalia & plantæ, quoniam humor in terra, spiritus in humore calor animalis in vniuerso est. Itaut quodammodo animarum plena sint omnia.

H ij

nia. Sic calorem illum animæ assimilât quæ substantia est seipsam mouens. Quod quis audiet de calore igneo elementari ?

γίνεται ὃ ἐν γῇ. Ὁ υἱὸς τοῦ ζῶα. Ὁ ζῶα φυτὰ διὰ τὸ ἐν γῇ μὲν ὑπάρχον υἱὸν, ἐν ὃ ὑδατὶ πν, εὐμαρὶ δὲ τῷ πατρὶ θερμότητα ψυχρὴν, αἷς πρόπον πινὰ πάντα ψυχῆς εἶ) πλήρη.

Preterea si in alimentis sola insunt elementa, quomodo assimilantur viuenti per nutritionem quæ non viuunt ? Nam quid est principium vitale. quod etiam in excrementis animaliam continetur ? Eadem enim manebit dubitatio si prorsus elementare. Non est enim decedentis animæ ἀπορροία. Non portio, nō fragmentum. Quæ ergo conditione poterit esse causa animationis, vitalitatis ? Ergo necessitas rationis euincit corpus illud Aristotelis diuinius elementis. Quod cœlitus quotidie allabi, quæ necessitas, cū primæua mistio quantum satis habuerit ? Inest rerum seminibus, inquit Aristoteles, & per semina propagatur in prolem; restituitur per nutritionem, & cōtinua cœli tanquam similis aspiratione fouetur sustinetur.

Nolim tamē hanc essentiam nudā separari à domestico subjecto, in quo perpetuo hospitatur. hoc fieri nec debet nec potest Elementorū occasione subiicitur sensibus, separata vanesceret. Ne quispiā nobis imponat tale portentum, quod video a plæ-

risque celebrari, parum philosophicè sentientibus.

MEDICAMENTI VNIVERSALIS Interpretatio.

Quamquam de hoc medicamento nihil ad nos. quia nō docuimus quid, quale, quomodo sit. rationes authorum proposuimus quæ Libauianas destruunt. Eo etiam admissio singularia contempni non diximus. Imò in primo capite ob raritatem & difficultatem negleximus. quia in medicina, si alicubi, docendum, medendum, ex certis, perspicuis, facilibus. Quia tamen hanc assertionē nobis propriam volunt calumniatores, placet Authorum placita declarare his paucis. Vniuersale medicamentum ad eorum mentem interpretari.

Dum vniuersale celebrant authores, nequaquam reiiciunt particularia. Non hoc sensu vniuersale dicitur quod sufficiat solum. Nunquam vniuersale fuit sine particularibus. Ne cælum ipsum: Sidera, astra, habet quibus singulares vires deffiniantur. Mundi spiritus Stoicorum, Anima mundi, natura vniuersalis, materiæ cæcellis cœrcita fit particularis. cū indiuiduis agit hoc vel illo modo. Causæ vninerfales nihil possunt sine particularibus. Diuersa quidem & contraria possunt, sed non per se primò.

H iij

Sol ceram liquat, lutum indurat pro materiæ aptitudine. Vniuersale bilem purgat cum rheo sociatum, pituitam cum agarico, Atrum succum cum senna. Mercurium dixerunt authores, quod non aliter ac mercurius planeta, vires eorum assumat quibus sociatur. Est ἀδιάφορον per se & ἀόριστον. Voluit Montuus aquam esse materiam infusionum & coctionum omnium. Resistit Fernelius, Quod sæpè necessarius sit liquor qui medicamento viscera subeat, vt eliciantur vires. Chimici hoc voluerunt quo non solum singularem vires aperiantur, sed quo etiã validiores fiant & innoxia. Et quo natura nostra sæpè infirmior & morborum contumaciã cacoethiã labascens, restauretur. Sic an animi defectibus vino, cardiacis, aquis vitæ, spirituosius reficiuntur promptè spiritus.

An enim morbi omnes curabiles hoc medicamento? An posset & chirurgica? Non ita iudicandum. Hydrops à schyrrhoe iecoris, in lapidem indurato, est immedicabilis tota natura. Inter moritur otio alitrix. Perit feriata nihil agendo. Causæ efficientes agendo viuunt, perficiuntur, ἐπιτελεῖται. Alij sunt affectus, alijs de causis incurabiles. Quod ergo dicunt, omnem morbum hoc sanari, volunt audiri de sanabilibus. Ad dunt enim breuiori tempore curam perfici. Ratio est, quod natura egri reddatur

vegetior, fortior.. Sit veluti in iuuentute,
vnde tot fabulosa de reditu ad iuuentu-
tem. Quin & natura medicamenti sui
iuris facta, simili aucta, plura possit & præ-
stantiora. Sic sennæ vires, breuius eli-
ciuntur vino, hydromelite, & simili-
bus. Intenduntur eodem. Morbi sunt
singulares. Demoliuntur contrarietate.
Sed quæ limitetur, dirigatur, naturâ æ-
gri. Sæpè est adeo impotens vt nihil
possit. Hoc, simili, amico, grato, ro-
boratur; fortior redditur; vt postea leui
brachio morbos finiat, sed adiuta medi-
camentis. Tot sunt medicamentorum
ideæ quot morborum. Quomodo vnum
simplex tam multa posset? Non voluerunt
hi Philosophi quod Philosophiæ aduersa-
tur. Ita iudicarunt de vniuersali ex veris
medicinæ legibus. A quibus recedere ne-
fas. Sic Raymundus, Rupecissa, Vlstadius,
& alij, quintam essentiam docent, singu-
larium omnium facultatibus grauidam,
vt sit catholicon vniuersale medicamen-
tum.

LEPRÆ ELEPHN-
tiæ natura.

Elephantia omnis à mortis causa ducit o-
riginē. Mors est humidi primigenij absum-
ptio, caloris natiui extinctio, vita enim in

humore calido consistit, humore, oleoso, radicali, substantifico; calore caelesti, blando, æquali, continuo. Elephantia verò humidum primigenium depopulatur, atrabiliū, acre, efferum, reponitur: calor igneus, exurens, inæqualis succedit nativo, qui in dicto humore exardescens torret, assat, liquat partium substantiam. *σὺ φάρ' ἄνδρος* visitur, carne consumpta, pelle laxa, ossibus circumducta. Tandem humor putrescit, tumores exulcerantur, cancri aperiuntur, copiosam profundunt saniem, foetidam tanta perniciē, ut vicina depascentur, membra decidant. Quicquid est in malo obfirmato cacoethes est malignum rebelle. mitiora remedia continet, fortioribus exasperatur. quot tubera integra, tot *κρίπττοι καρκίνοι*, quot ulcerata, tot aperti, eoque funestiores quod labes sit vniuersalis, in ipsa viscera crudelius sæuiens. Ita ut vnde salutis spes, inde damnum augeatur. Prima enim labes in iecore & liene residet, inde serpit humoris cacoethia, tumores in visceribus excitat & ulcera, qualia postea se produnt in cute. Tum languet alitrix, nutritio frustratur, nulla est assimilatio, appetentia prosternitur. Sæuitia & protèrinitas intelligitur ex magnitudine mali, carnes, vasa, solida, deuastantis. *ἐστὶ γὰρ καὶ ἡ λέπρα* inquit Gal. καὶ ἡ ψώρα μελαγχολικὰ πάθη μόνου τ' δερµατος, ὡς εἶχε καὶ ταῖς φλεβίς, τῇ σαρκὶ γίνονται. καρκίνος ὁνομάζεται. Ergo in elephantia non solū car-

nes,

nes, vasa, sed & ipsa viscera cum laborent, cancer illa erit vniuersalis, & tot erunt particulares, quot tubera, vlcera: non quidē attingenda, quandiu maligna labes, quandiu virus elephanticum adest. Est enim inquit Heurnius duplex in cācro venenum, vnum putrefactiuum, alterum corrosiuum. Si admoveas calida & humida ad pepasum, inde in altam putredinem degenerabunt, vicina putrilagine contaminabunt. Quod si caustica adhibeas, surget venenum corrosiuum, ac vicina cuncta exuret. Quare non attingendi tumores siue canceri leproforum. Galenus, equidem scio omnes qui curam tentarunt cancos irritasse & homines interemisse. Vlcersa vstione aut sectione facta non potuerunt ad cicatricem perducere. Auicennas, cum cancer qui est lepra vnius membri sit de non sanabilibus, quid dicemus de lepra, quæ est cancer totius corporis? Auenzoar. Lepra est cancer pessimus ortus in corporibus hominum. Aetius. Elephantia vbi iam superauerit incurabilis est, atque cancer est totum occupans corpus.

Quibus maiorum decretis constat elephanticos obfirmatos non esse attingendos, ne citius intereant exasperato malo. Et cōtra qui attinguntur non sunt elephantici, si modò melius habeant curati. argumentum enim est, superatum esse venenum illud duplex. Morbum verò confirmatum volunt,

inquit Hollerius, qui annū superauit. Quāto magis ergo qui decennium?

At corpus leproſæ in libro noſtro commemorata, tuberibus inæquale erat, vlceribus multis plenum. Aſſumptis remediis interna ſeſe exonerant in cutem commune emiſſarium, quæ papulis variolis oneratur, tubera augentur, inflammantur, vt eſt in hiſtoria. viſcera liberantur, alitrix reſtituitur, appetens valet, coctrix viget, aſſimilatrix non otiaſtur, vlcera ſiccantur oſophagi, tracheæ arteriæ; vnde deglutitio facilis. Hiſ conſiſus tubera audacter attingo cathæreticis, cauſticis : primum in manu læua, dein in facie, genis fronte, ſuperciliis. Nihil obſeruo caecoethes. leui negotio cicatricem ducunt, etiam cum improba viuendi lege. Cogito de abſumendis reliquiis. Ex internallis abſumo vt prius. Hic labor immenſus pro numeroſa tuborum ſobole. Breui non poteſt reſtitui tota cutis imbecillima. Menſes multi imò anni deſiderantur. Nam ſi vlcus in tibia paulo malignius, & medicorum & chirurgorū opprobrium eſt; Si in multis annis immedicabile eſt, quid erit de numeroſis tuberibus vlceribus in natura elephantica? Sed audio grunientes aduerſarios. Obiiciunt me dixiſſe perſanataſ leproſas, quam tamen aſſero magis deformem. Attendite cenſores paucis ſatiſfaciam. Dico elephantiam græcorum perſanataſ eſſe, morbum totius cor-

poris, cancrum vniuersalem, & tam multos
 particulares integros & vlceratos: tuto e-
 nim tumores integri aperiuntur, aperti ci-
 catrice clauduntur. Ergo duplex illud vene-
 num sublatum est. Ergo cancer perfanatus,
 sublata cacoethia, elephantia aut cancri ve-
 ra essentia, qua posita ponitur, saltem qua
 sublata tollitur morbus. Hic enim maximè
 negatio est causa negationis. Perfanata in-
 quam elephantia, sed mutatione in lepram
 græcorum. Morbus omnium maximus mu-
 tatus est in minimum. Morbus vniuersalis
 in particularē in cutaneum. Principes par-
 tes onus deposuerunt in cutim ignobilem.
 Morbi enim curantur aut *λυσι* aut *metasta-*
σι. Humor crassus contumax vix resolubilis,
 non potest euaporari per cutem inualidam.
 illic subsistit topicis superandus. Nec defi-
 nit verum esse affirmatum de curatione ele-
 phantia. Cum febrium materia, imperfecta
 crisi, deponitur in brachium, in tibiā, ab-
 scessum paritura, febris cessat; dicitur perfa-
 nata, etiam manente abscessu particulari.
 Lepra græcorum nihil habet cum elephan-
 tia commune, differunt tota natura. Hip-
 pocrati *λέπρη, ὀκνησμός, ἡ ψώρα, ἡ ληχῆνας, ὁ αλ-*
φὸς ὑπὸ φλέγματος γίνονται. ὅτι δὲ τὰ τοιαῦτα αἴσ-
χρὸς μάστιγι ἢ νοσήματα. Lepra, pruritus, sca-
 bies impetig, vitiligo, pituita, gignuntur,
 potiusque corporis turpe quid sunt quàm
 morbi. Ergo elephantia in lepram mutatio

perfecta est eius curatio. Urgebunt adhuc imperiti, tam multa tubera vix resolubilia restari superstitem causam, ab elephantica haud diuersam. Causa & effectus sunt relata. Effectus causae praesentiam conuincit. At eadem manent quae inerant ante tubercula. Ergo nulla mutatio, nulla correctio, curatio nulla. Respondeo inquam, summum esse discrimen: ante cancri erant, nunc tumores sunt simplices: ante sine periculo non ausus fuisses attingere, nunc tuto aperiuntur, aperi facile clauduntur. Praeterea quod praesens facit absens tollit. At praesente elephantico veneno, omnes totius corporis actiones deprauatae ferèque abolitae sunt. Morbus est affectus actionem laedens eius in quo est. ergo cum morbus sit in toto corpore, totius corporis actiones oblaesae erunt & vitiatae. Morbus omnis in parte consistit, ergo morbus vniuersalis in vniuerso corpore. Morbi essentiam sequitur actionum lesio, tanquam umbra corpus. Symptoma est, morbi ~~causa~~ ^{signum}. Ergo si quaedam actiones bene habent, sanae sunt harum actionum partes, causae efficientes. At haematosis proba est. vitae, animae, actiones longè meliùs sunt. Ergo partes principes valent. Facultates corpus gubernantes, mutuas sibi tradunt operas: mutuis sibi stant auxiliis. Sed & trahuntur in communem ruinæ societatem, vni laesae aliae cōdolent, compatiuntur. Non valet, non dolet

vna, sine aliarum suffragiis. Vita datur pro
 sale, imò pro sole. Eius influxu, irradiatione,
 singulæ recreantur. Ergo in laudabili san-
 guine vitalis valet. Quidni vero si cum Ari-
 stotele esset sanguificij causa? Idem de ani-
 mali de cerebro. Quidni ergo totum vale-
 bit? saltem non poterit tanta perniciēs, tan-
 ta labes qualis elephantice dissimulari, tegi.
 Causæ communes officium toti commune
 elargiuntur bonum aut malum. vni quidem
 plus alteri minus, sed iustè sed geometricè.
 Ergo ex sanis visceribus integra sunt omnia.
 Ergo ex actionibus principibus valent no-
 bilia viscera. Maximè in statu sano: in mor-
 boso verò non ita necesse est. Ad sanitatem,
 omnium integritas necessaria; ad morbum
 vnius læsio satis. At in morbo catholico, v-
 niuersali, vniuersæ partes laborant, vniuer-
 sæ actiones culpantur. Alioquin non erit
 morbus generalis, alioquin non erit elephā-
 tia. Sed in hac muliere tam multa tubera
 tam multarum partium, sunt *ἐν ὅλῳ*. Ergo ca-
 coethia ab elephantia inseparabilis, non erit
 in illis partibus. Ergo non erit cancer totius
 corporis, non morbus vniuersalis actiones
 omnes lædens.

Non est hæc curandi ratio sine exemplis,
 hæc in lepram mutatio. Galenus summus
 medendi magister id præstitit. Quinque vi-
 dit persanatos. Duo sunt affines ex elephan-
 ticis facti leprosi, lepram postea aliis cura-

uit medicamentis. Qui facti sunt leprosi confirmati erant, materia crassior, contumax, vix resolubilis, non euaporabilis substitit in cute crassa, imbecilla. In aliis vero quia morbus erat in principio, humor non ita crassus, sed euaporabilis per cutem robustam exhalauit illi non sunt facti leprosi. Sed placet ipsissima Galeni verba subiicere coronidis loco.

Ἐτέρον δὲ ἐπὶ αὐτοῖς τρίτον ἐξ ἡμετέρας μνημόσεως. ἐπὶ δὲ ἡ γὰρ πῶς νοσῶν τὸ τοῦ νόσημα φιλοσοφωτέρος ἢ καὶ τὸς πολλὰς, ἐδουχεραίνε τε δεινὰς, καὶ τεθνᾶναι βέλπον ἢ ζῆν ἐφασκιν (1). Διακείμενῳ ἔτι αἰθλίως ἐδήλωσα πὰς παρερρημέναις δὲ περὶ τῶς αὐτῶ. ὁ δὲ αὐτὸς τὴν γὰρ ἡμῶν οἰωνῶν, ἐχρήσατο τε φιλῶν θαυμαστῶν καὶ θεοῦ πρὸς μαθήματα καὶ δὲ ἐπὶ ὄρνισιν αἰμὴν ἐκείνῳ, παρεβλάπτει μιμήσασθαι τὰ δὲ τῆς πειρᾶς ἐγνωσμένα, καὶ πῶν οἰωνοὶ ἔτι φαρμαχθέντα, λεωφόρος ἐγένετο, χρόνῳ δὲ ὑστερονόμαστα, καὶ πῶν λέγουσαν αὐτῶ τοῖς σωῆσι φαρμάκοις. Atque ut intelligas hunc philosophum fuisse elephanticum confirmatum, curatum mutatione elephantiae in lepram, alium subiicit qui ἐν ἀρχῇ μὲν ἡμῶν τὸ πάθος ἐκείνῳ. Erat in principio illius morbi, propterea curatus est non mutatione in lepram, sed euaporante per cutem affectu. Hic scilicet materia erat tenuis, resolubilis, euaporabilis; cutis nondum addensata, sed satis patens ad inuandam resolutionem. Tertium subiicit siue quartum philosopho si-

milem , id est confirmatum elephantī-
cum.

Αἱ μὲν οὖν τῆς αἰῆρος πλείους ἔχουσιν ἡμεδαπὸς ἔτος γε, ἀλλ' ἐκ μέσης θράκης ἦκεν, ὁνείρεατος περὶ τῶν ἐλάντων αὐτὸν εἰς τὸ πέραμον, εἴτα τῷ θεῷ περὶ αὐτὸς ὄναρ αὐτῷ πί-
νειν τὸ διὰ τῶν ἐχιδνῶν φαρμάκων καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ὅ-
χιεν ἐξώθεν τὸ σῶμα, μετέπειτα τὸ πάθος ἔμετα πολ-
λὰς ἡμέρας εἰς λείψαν. ἐπεὶ περὶ τὴν τὴν πάλιν. οἷς ὁ θεὸς
ἐκέλευεν φαρμάκοις ὅτι τὸ νόσημα. Sic hi duo fa-
cti leprosi sunt & lepra postea aliis curata
est remediis. Quod nos in ista muliere ten-
tamus & speramus consequi, propter ratio-
nes commemoratas.

NON ESSE VENENA M Y-
neralia omnia, vt nec vegetantia nec
animantia salutaria
omnia.

Aurum, argentum, ferrum, chalibis, per-
læ, gemmæ, crystallus, corallus, terra lem-
nia, armenia, sal, bitumen, succinum, am-
bra grisea, hæmatites & alia innumera, non
possunt inter venena numerari. Antidoti, a-
lexipharmaca, cardiaca præsidia his constāt.
Dantur aduersus venena, vt crystallus con-
tra arsenicum. Dantur aduersus pestem, vt
confectio de hyacuiho. tot pulueres car-
diaci his constant, & tamen hæc omnia mi-
neralia sunt. Si venena creduntur, quod
non vixerint, quod tantum distent à nostra

I iiij

natura quantum viuens à non viuente, cur
medendi magistri his vfi sunt? Sed cur po-
tius qui illis vtuntur momento non pereūt,
fi venena sunt? Aduersarij sales vrbauitatis
& doctrinæ exuerunt, ne hoc minerali con-
ficiantur. Aquæ minerales tam multæ, non-
ne cæcitatem mentis docent aduersario-
rum, quum illos ipsos à morbis magnis li-
berant? An Galenus in ea fuit sententia, qui
tantas aquarum vires prædicauit. Qui natu-
ralium exemplo artificiales composuit ex
hisdem mineralibus? Cum itaque non sint
mineralia venena omnia, addere placet
chymico artificio perfectiùs elaborari,
quòd ignis gehennas tollerent fortiùs. In-
tegra quidem & vulgo parata, sunt sine vi-
ribus, quod facultates sint in densam mate-
riam demersæ, nec ita facilè euocentur. Quî
ergo venena erunt, si inefficacia? sed quî ad-
uersarij hæc venena in crumenis in arculis
recondunt; An ne alios inficiant? non cre-
dam: nihil enim sibi metuunt dum auro &
argento venenatis persoluuntur.

ANTIMONIUM.

Julianus Palmarius Patruus noster libro
de peste, vitrum antimonij reiicit multis ra-
tionibus. Mathiolus tamen commendat
nulla ductus ratione, sed sola experientia.
Eadem Launeus contra Greuinum, vt & a-
lij

lij quamplurimi : quinetiam Patruus in tra-
 ctatu de purgandi legibus vniuersalibus
 nondum typis excusso , multa refert non
 contra pestem , sed contra epilepsiam , apo-
 plectiam , paraly sim & similes affectus , à perit-
 to præsertim medico obseruatis cautioni-
 bus & vomendi legibus. Quæ omnia de vi-
 tro dicuntur , de antimonio hoc solummo-
 do parato , id est imperfecto , quo vapor
 malignus euocatur non tollitur. At quis
 velit hac ratione reiicere reliqua huius ar-
 tificia , quibus non contemnendas ostendit
 facultates. Sanè vt argentum viuum vulga-
 ri sublimatione paratum tanquam vene-
 num reiicitur , sic & aliis modis vtile fa-
 ctum admittitur. Catapocia Barberouillæ
 illud admittunt. Patruus utiliter dedit ex
 ore , vt est in tractatu de elephantia. Chy-
 turgi singulis diebus litus specie eodem v-
 tuntur in venericis , quod de sublimato
 nullus ausit. Alij infiniti viuum dederunt
 nullo incommodo iusta dosi. Item de stibio
 quod & Dioscorides dedit cum elaterio ,
 nec est locus obiectioni aduersariorum , pro
 σιμητι σιμμι repositum. addit enim Dioscori-
 des infernæ vacuationis causâ cum sale. E-
 xemplar est in bibliotheca regia manuscri-
 ptum quod σιμμι non σιμητι habet. Hippo-
 crates dedit lib. de internis affectionibus δ-
 δοναι τὰ αὐτὰ ἐρεβίνθων λευκῶν ὕδωρ ἐξ ὧν πινεῖν , καὶ ἐν
 τῷ οἶνῳ διακεῖναι ὃ δίδοναι ὃ πινὼ κεφαλῇ αὐτῆς κα-

δαίρειν τῷ ἱπποκράτει. τίνες, inquit Galenus, μὴ
 ἢ ἐυελοκομέναις καὶ τὸ σίμμι πλεονάζει, τίνες δὲ αὐτὸ τὸ
 σίμμι. Et Cenfor noster obiectione 37. per
 magnesiā voluit antimonium, quo utitur
 & Hippo. eodem lib. Fœsius in œconomia
 cum Galeno ad ἱπποκράτη Hipp. interpreta-
 tur σίμμι stibium antimonium.

FULMINIS BRVTIRE- SOLVTIO IN SVA PRIN- cipia, vt vires cognos- cantur.

Nomen fulminis appositum. Perterruit omnes
 fragore tanto. Latè vagatum est, ad longinqua
 vibratum. Bruti, ventanej epitheton placet, quia
 irritum licet irritatum. Meteoron fulmen his con-
 stat quibus armariū. Nō est dissimile quod terimus.
 Solo differt effectu, non affectu. Vires nullæ sunt
 Causam accipe, Lector. Partes essentielles & inte-
 grantes conspicio. Constat sale petræo duplici, nitro
 et communj, viroque vnius aquæ vix defecato.
 cōstat & sulphure, & carbone. Hæc cyclopes cēsoriij
 Ioui inermi parant, miscent, componnu; Ignis ac-
 cenditur fatuus. Grando de fluit spiritu procellarum
 tanquam vento huc illuc dispersa. Nix & glacies
 adsunt & ea quæ faciūt verbū eius, sed robur detra-
 hunt. Confessus est Talaris in quo omnium iniquissi-
 mus primas tenuit. maculosi senes, nudi iuuenes, alij

non tam ararij quam arari. Cyclopum vnus nihil,
 nisi per antiphrasim, cōtra nominis ethymon. Docuit
 Petreos sales, vinam decrepitatos! Alius Poetafter
 furys insensus, inferentis & vaideros, sulphur scetens,
 nō fœtans sed rufū halitu graui suggerit. Tertius ad
 demonium denigratus, Censura alia excommuni-
 catus, totum se dedit pro salicis carbone, ventosus
 fatuum crepitum edidit. Omnibus sic confusis,
 aspirat suplicator grandinans, lambit, lingit, non sine
 sudore ἐκιδρώειν nesciens. Grando enim est collegis
 ominosa. Ignis est, nec lucens, nec vrens. Efflat cali-
 dum & frigidum, λίθον, non pillulam in pera vri-
 naria gerit, contra Aesculapij sponsonem. Interim
 vix auditur caput mortuum, voce demissa, libri titu-
 tulo attonitum, ne recoquat parum congrua sui De-
 canatus ἀντὶ τοῦ γεῶφα. Tot & tales κελόσποροι ridicu-
 lum peperere musculum. Et audent omnium consen-
 sum adstruere. cū tamē decē solum adfuerint. Quo-
 rū tres aliter opinati sunt. Tres accusandi: vnus lite
 abdicandus, alter censurā Tertius euiratus papaue-
 re corniculato frigidior, manie manibus corruptus.
 Talia sunt fulminis principia. Indica vires, expende
 iura. Ne crede nomen augustum facultatis huc mō-
 stro. Habet veros Asclepiadas his impostaribus in-
 sensissimos.

EXP

ERATA

Pag. 5. l. 26. pedum, p. 9. l. 13. occidet. del. & p. 12. l. 12.
inscitia, p. 13. l. 30. catilinæ, p. 16. l. 15. lipothymia, p. 18.
l. 9. exornatur. l. 14. vas, p. 20. l. 9. ὁμοίῳ. l. 27. lebeti,
p. 21. l. 21. deprauator. p. 23. l. 17. ἰσῶδες σοφίαν. p. 24. l.
9. es, p. 25. l. 9. abstinerunt, p. 29. l. 14. nostra, p. 32. l. 18.
eccoproticum. p. 34. l. 12. & l. 21. Asclepiadæ, p. 35. 23.
πῶς τὰ ἀρχαῖα τῶν νοσούντων. l. 24. Et, p. 40. l. 20. Petiana-
ram, p. 41. l. 6. de leuero. p. 43. l. 2. Scholæ nomine, p.
46. l. 1. dele nomine. p. 47. l. 14. occultam, p. 56. l. 5. fennæ
p. 60. l. 5. πύλη. p. 61. l. 4. interpretatio. p. 62. l. 14.
validiores. l. 17. animi, p. 63. l. 22. facultatibus. l. 23.
elephantia, p. 71. l. 14. mineralia.



